FLORES ITALICI

CONLEGIT

(Karl) Theodor

THEODORUS KOCK.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXVII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

CAROLO FRATRI

S.

AD LIBRUM SUUM.

Vive valeque, liber: peperit quem grata Panormus
et tenerum tepido fovit amica sinu,
nutrivit formosa Neapolis almaque Roma
eduxit: faustis natus es auspiciis.
infantem adflavit laeto spiramine pontus,
adrisit radio candidiore dies,
ludentisque favens nugis Saturnia tellus
ambrosio pavit parvula membra cibo.
et mox ingenium morumque artisque magistri
formarunt Flaccus Maeonidesque Maro;
quorum si poteris laudem plausumque mereri,
contentus supra praemia nulla petes
et tutis nolens latebris emergere mecum
felicis vitae tempora solus ages.
quid? renuis? precibusque patris parere recusas?
tene etiam ambitio vanaque fama trahit?
utque voluptatis mihi causa caputque fuisti,
rere tuos aliis posse placere iocos?
falleris. a, numquam libri, sic fata Sibylla est,
tam placuere aliis, quam placuere patri.

sed si tantus amor temptare pericula vitae,
quantus inexpertis cordibus esse solet,
nec retinere queunt senioris dicta protervum,
quem furor aut divis mens agitata rapit:
librorum in pelago dubiis iactata procellis
non poterit cursum nostra tenere ratis,
naufragus et sero ceu ruptis Icarus alis
in patria planges ausa superba casa.
sed (neque enim Phaethonta dei movere querellae,
nec nati fas est flectere fata patri)
aura vocat cupidos: vaga ventis pandite vela:
di faveant: iterum vive valeque, liber.

LIBER PRIMUS.

I.

ITALIA.

Audistine oras, turgent ubi floribus horti,
frondibus in spissis aurea poma rubent,
et tepidi liquido spirant ex aethere venti,
tuta silet myrtus laurus et alta viret?
felices oras: illuc ex imbribus arcti
et nivibus liceat tendere vela ratis.

audistine urbes? nituntur tecta columnis,
Phidiaca paries laetus ab arte nitet:
attonitum spectant peregrinum ex marmore signa:
quid trepidas? haec sunt ora tremenda tibi?
felices urbes: illic, o numina divum,
abditus optato perfruar hospitio.

audistine arces? celsae sub nubila caeli
surgunt, per tenebras mula ubi temptat iter.
in specubus latitant inmania monstra draconum:
saxa ruunt, saxis desuper unda cadit.
illas, o superi, tandem iam pergere ad arces,
felicem liceat pergere ad Italiam.

II.

PADUS.

Vides ut altis desiliat latex
clivis sereno sidere laetior,
quem rore caelesti benignae
in scopulis aluere Nymphae.

fretus iuventae viribus integrae
ex nube duris marmoribus levis
insultat exsultatque rursus
caeruleum repetens Olympum.

saxis ab altis proripiens pedem
pictos lapillos persequitur ioco,
fratrumque mox ducens cohortes
ingreditur puer imperator.

valles opaco flumine dividens
ripas colorat floribus, halitum
silvis et exspirat salubrem;
pascua rore novo virescunt.

hic frigus umbrae pellicit inpigrum,
nectunt decentes insidias rosae
blandoque permulcent odore:
vincula sed fugiens amoris

ad plana tendit rura volubilis
Maeander: addunt cornua Naides:
ceu limbus argenti liquentis
per virides sinuatur agros.

et flumina arvis orta patentibus
rivique celsis progeniti iugis
fratrem salutantes potentem
murmure cum querulo precantur:

'o frater, omnes nos comites viae,
omnes ad almum duc age principem,
perduc ad aeternum minores
Oceanum latices parentem,

qui nostra passis agmina bracchiis
exspectat, eheu, conligere omnia
fluenta nequiquam paratus,
innumera pereunte turba.

namque adpetentes regna patris vagae
vorant arenae; viscera Sirius
exurit ardens aut malignus
stagnat aquas tumulus meantes.

o frater, omnes duc comites viae,
rivosque planis progenitos agris
fontesque de clivis fluentes
ad vitream genitoris aulam.'

'venite cuncti.' iamque animosior
pergit: clientum prosequitur cohors:
victor triumphatorque turbae
en umeris equitat per agros,

magnarum et ingens conditor urbium
regnis relinquit nomina, turrium
tectis micantes spectat ignes
marmoreasque tumens columnas.

Atlantis instar sublevat aedium
moles lacertis; mille super volant
vexilla veloces per auras,
egregii documenta regni.

tandem peracta gratus opes via
fratresque natosque Oceano patri
dilecta laetanti superbo
pignora cum fremitu reducit.

III.

DANAE.

Arca cum Danae daedalea maris
erraret per aquas flabraque turbida,
languentemque malo percuteret furor
undarum, lacrimis genas

rorans et puerum Persea dextera
amplectens querulis ingemuit modis:
'o quantis animus conficitur tuae
matris, nate, laboribus.

tu somnum teneris pectoribus levem
spirans in tenui robore nescius
curae caeruleum per mare navigas,
nec noctis tenebras times

nec sentis rabidi saevitiam noti
incomptam aequoreo rore comam tibi
spargentis, sed iners sub Tyrio latet
formae gratia pallio.

o si iam tibi mens gnara periculi
esset, verba memor conciperes mea:
sed dormi, mea lux; dormiat et notus
et fatum grave dormiat.

nostrae qui subolis Iuppiter auctor es,
perculsos relevet gratia iam tua:
quod si fervidius vociferor, patris
exoret veniam puer.'

haec effata graves ponere turbines
Phoebeumque videt sidus ab aethere
fulgere, incolumemque unda Seriphiis
adpellit scopulis ratem.

IIII.
BARSINE.

Tene iam totum patiamur omni
fraude, Barsine, spoliare mundum?
nam tuo quidquid micat ore, pulchra est
praeda rapinae.

luminum raptus nitor est ab almis
siderum flammis, coma pallet auro
tincta Pactoli, Parioque turgent
marmore membra.

voltus intacta radiat rosarum
purpura, qualem tenero, priusquam
solis emersit rabies, pudentes
flore recludunt.

mella quis labris dedit et loquellae
gratiam, mentive dedit pudorem
candidum? te nunc Veneris marinae
balteus ornat?

nec tot et tantis satiata furtis
una praedaris puerorum amores
utque Circaea miseros coerces
compede vinctos.

at cave culpa superante poenam:
inminet clades medio in triumpho:
mox enim spretum totiens docebit
victor amorem.

V.

SEPULCRUM VERGILI.

Dulci relicta mane Neapoli
tristes protervis tradideram metus
ventis et adridente caelo
corpus aquae volucrique lembo.

mons inminebat flammifer aetheri
laeva, vaporem culminibus rotans
Phoebi coloratum sagittis:
mox properans in aperta ponti

late tuebar Parthenopes decus:
castella tollens ardua vertice
latusque perfundens liquenti
rore cubat redimita myrtis.

oras phaselus stringit amabiles
urbis: viarum iam fremitu procul
clamore et insano sepulto
sola sonant vada pulsa remis.

turgent secundo flamine lintea:
iam laetus aedes advehor ultimas
et Pausilypea sub arce
Maeonii tumulum Maronis.

o qui perenni pascua carmine
camposque et hortos et nemora et greges
atque arma dixisti ducemque
Dardanium Rutulas et iras,

divine vates, hic cineres tui
pulchre quiescunt, unde maris freta
spectantur et tractus agrorum et
aëria super astra sede.

hic saepe luci redditus aureis
nimbis recumbis tempora laurea
praecinctus et tutus virorum
despiciens miseros labores.

hic pontus ambit lucidior vitro
insigne Musis Elysium tuis,
tuumque post bustum tremenda
pallidus horret Avernus unda.

tu, Pausilypon, sollicitudini
maestaeque ponis tristitiae modum,
vatisque securo beati
relliquias tumulo recondis.

at me vacantem sollicitudine,
tamquam sepulcro sim positus tuo,
florente nunc laetum iuventa
cumba tuis agitat sub umbris.

VI.

PRAESENTIA AMORIS.

Te memini, mea lux, freta cum sedata corusco
solis ab orbe rubent;
te memini, placido cum fonte micantia lunae
Naias ora lavit.

te video, quotiens longinquis pulvis in arvis
subvolat ater humo;
obscura te nocte, vagum si fallit euntis
semita prona pedem.

audio te solam, saevis ubi concita ventis
aequora vasta fremunt:
ipse tuae memorem taciturnus imagine vocis
ludere lucus amat.

te teneo: quamvis longe longeque remotam
te mihi reddit amor.
sol cadit et stellis caelum candescit. adesses,
tu, mea vita, simul.

VII.

AQUA PAULLINA.

Quotquot Roma bibit flumina fontium,
seu Triton tenues efflat in aëra
rores marmoreive
lymphas excipiunt lacus:

qua clivos obeunt moenia Martios,
non, Paullina, chorus Naiadum tibi
certet, culmine Iani
quae quinis graviter strepens

rivis deproperas. ut tua murmura
solum saepe iuvant, cum mihi Romuli
hac ex arce patescit
urbs et pontificum simul.

audax semirutis Flavia moenibus
moles exsuperat: nec minus invida
temnunt saecla columnae,
Farnesina domus, tuae.

nunc, invictus ubi rex volucrum diu
gentes letiferis terruit unguibus,
sanctae nuntia pacis
crux turres supereminet.

at turpi populus nocte coercitus
tabescit stupida et regna superbiae
auratumque tumorem
pascens ipse perit fame.

non ferro valet aut Romula vomere
pubes; vix etiam culta nitet manu
  vitis palmite laeto
  heroum tumulos tegens.

inconsumpta quidem luminibus micat
libertas veterumque ingenuus decor;
  sed damnosa voluptas
  robustum edomuit genus.

VIII.

ΠΑΡΑΚΛΑΥΣΙΘΥΡΟΝ.

Dum premis mollem resupina lectum,
somnians audi tibi supplicantem:
me tuo blandum modulante carmen,
  Lydia, dormis?

me lyra blandum modulante carmen
siderum exsultat chorus, et secundant
caelites fidam venerem. tamen tu,
  Lydia, dormis?

caelites sanctae veneri faventes
aetheris mentem revocant ad arces
plebe secretas humili. quid usque,
  Lydia, dormis?

plebe secretus nimis atque amicis
dum procellosum renovans amorem
luridae noctis quatior pruina,
  Lydia, dormis?

luridae noctis rigidum pruina
surda non audis tibi blandientem,
membra sed laxans resupina lecto,
Lydia, dormis.

VIIII.

ITALIA LUGENS.

a. MDCCCLXIII et LXVII.

O cui voluntas omnipotentium
divum decoris virginei dedit
laetamque funestamque dotem,
Italiae miseranda tellus,

o quanta voltum maestitiae tuum
nubes obumbrat. quam tibi tristia
vestigia inpressit doloris
Cura genis teneraeque fronti.

eheu venustis o utinam minus
membris niteres, aut valida magis
stares reformidanda dextra
gentibus invidiaeque regum.

plus te paverent aut peterent minus
saevi relictam Penelopen proci,
nec turba fatalis iuventae
inlecebris furiata laetas

vexaret aedes, aërias super
Alpes redundans, aut petulans Padi
tuo colorati cruore
barbaries biberet fluenta.

cur insolentes ad Tiberim sinis
vexilla Gallos pandere non tua?
cur perfidis et Roma victrix
hostibus et superata servit?

perfer: tamen te laeta manet dies
alto et resurgens gloria vertice:
quae bis triumphantem revinxit
laurea mox iterum virescet.

quamquam cruentis luminibus truces
tormenta lustrant carnifices tua
vivosque ceu corvi voraces
usque trahunt rapiuntque nervos:

audire Poenae iam videor gradum:
tu temne inanes interea minas
fidens et exspecta propinquos
magnanimi reditus Ulixis.

X.
HYLAS.

Adsiliunt vitreae placido cum murmure lymphae
(silva feraeque silent):
securus moderans nociturum piscibus hamum
stagna tuetur Hylas.

dum sedet intentus, liquidos divisa recludit
protinus unda sinus,
leniter et moto tollit de vertice pulchrum
uda puella caput.

arguta querulas effundens voce loquellas
'cur genus' illa 'meum
artibus humanis deceptum et fraudibus' inquit
'perdere, saeve, paras?

otia si nosses et amica silentia ponti
Naiadumque choros,
ipse refecturus corpusque animumque subires
aequoris in gremium.

non Hyperionides fervorem temperat oris
membraque fessa mari?
non gelidas pelagi spirans iucundius auras
aurea luna micat?

non te pelliciunt umentis lumina caeli
caeruleusque liquor?
non etiam ipsa tui fulgentior oris imago
in mea regna vocat?'

subsiliunt vitreae cupido cum murmure lymphae:
iam rigat unda pedem:
et puero, veluti teneram si spectet amicam,
turbida corda tument.

arguta blandas effundit voce loquellas:
non manet ille loco:
mergitur ipse volens subterque trahente puella
non rediturus aquis.

XI.

HYMNUS ARIONIS.

Summe te Neptune voco, beata
rura qui cingens niveosque montes
aurea tollis tumidosque ponis
cuspide fluctus.

te maris regem venerantur udae
piscium gentes rigidaeque pinnis
beluae ducuntque tibi protervas,
dive, choreas,

illud in primis genus, inquieta
corda quod numquam satiat vagando,
horridum, simum celerique cursu
dorsa recurvans,

turba delphinum, tua quae sub undis
antra custodit, bene fida Musis,
vatibus mitis quoque, cum vadosum
per mare currunt.

namque me tergo pavidum repando
ex fretis nuper Siculis tulerunt
Taenarum ad clivum Pelopique gratae
litora terrae,

per vias clausas homini, marina
stagna portantes, fera quem virorum
gens ab aerata rate verticosum
misit in aequor.

sed fave Neptune mihi, tuosque
cum vehar velis iterum per aestus,
supplici parcens pelagi furentis
sterne tumultum.

XII.

PROMETHEUS.

Absconde vestrum, Iuppiter, aëre
nimbisque caelum, vel pueri modo
papaverum in flores furentis
Pelion et iaculare quercus:

telluris almae non quaties solum
neque hos penates, non manibus tuis
structos, et ardentem corusco
igne focum superis negatum.

sub sole vobis, di, miserum magis
nil est. trementis sanguine victimae
votisque maiestas verenda
vix pueris anibusque vestra

aegre per aevum pascitur; et gravis
fames Olympum mox premeret, nisi
Spes anxia et vobis Egestas
usque novas parerent rapinas.

sic ipse quondam, cum puer inscio
vitae vagabar per tenebras pede,
solem fatigabam rigentem
mollibus et superos querellis,

tamquam benignas sollicitae preci
praeberet aures gratia caelitum
vellentque neglectam potentes
iustitiam et miseros tueri.

at quis deorum pernicie meum,
quis liberavit servitio caput?
an vestra Titanum superbos
fulmina contuderunt tumores?

quodsi tremendas ipse minas tamen
fregi iuventae magnanima ferox
virtute, debebo salutem
proditus heu tibi somnianti?

te cur adorem? sollicito levas
umquam dolores? an lacrimas mihi
siccas paventi? non virum me
vita meique potens tuique

duravit aevum? flos quoniam cadit
vernantis et spes laeta puertiae,
deserta iam lucem perosus
expeterem et Scythicas arenas?

par hic parenti fingo hominum genus,
quod et dolorum volnera sentiens
auris et exsultans secundis
cum patre despiciat Tonantem.

XIII.

GANYMEDES.

Quanta cum Phoebi rutilantis ortu
veris effervet rosei voluptas,
quantus et caeli radiat per oras
ardor amoris.

et mihi divine tuo Cupido
gestiunt leni tremebunda tactu
pectora aeternoque tuae iuventae
igne calescunt.

o deum proles, utinam per aevum
te meis possim manibus tenere
et tua laetus specie beatam
carpere vitam.

en tui flores virides et herbae
membra permulcent mihi blandientes,
adflat et gratam simul aura matu-
tina quietem.

en latens ima Philomela valle
pectoris prodens teneros amores
me vocat cantu. veniam: vocatus
ecce propinquo.

quo feror? magni feror ad parentis
templa? descenduntque pio serenas
vadere ad sedes superum paranti
nubila caeli?

ferte sublimem liquidas per auras,
ut verecundus teneam tenentem
liberos patrem gremioque tuto
corda quiescant.

XIIII.

AQUA MENTIS HUMANAE IMAGO.

Mortale lymphae quam simile est genus:
quae nata caeli sub spatiis vices
terram inter alternans et auras
inpatiens trepidat quietis.

latex ab alto vertice montium
cum purus exit, lucidior vitro
renidet, exceptusque levi
rupe leves imitatur aurae

vernantis imbres, gramina roscido
velans amictu; mox cita conligens
fluenta cum leni susurro
in virides properat recessus.

obiecta cursum praecipitem tenet
cautes ruentis: vincere pervicax
oppugnat et victus profundis
abdit aquas fremebundus antris.

mox otiosus consita floribus
per prata rivo serpit amabili,
et solis astrorumque pulchro
in speculo duplicantur ora.

ventus quieto strata silentio
mulcet benignis aequora flatibus,
miscetque ferventes ab imo
ventus aquae furiosus undas.

o quam superbae desipientium
mentes virorum sunt similes aquae,
lususque fortunae protervi
quam variis similes procellis.

XV.

DONUM AMORI SUPERSTES.

O quae pectoribus tessera lugubris
haeres heu fragilis laetitiae memor,
quantum vincis amorem
constanti volucrem fide.

quamvis te fugio, Phylli, tuo tamen
per saltus, per agros, avia per freta
vinctus munere regni
late signa fero tui.

ut silvam repetens e laqueis avis
extricata trahit carceris indicem
partem cum pede fili,
et contempta sodalibus

lascivo volucrum sola procul grege
maeret: sic mea iam pressa iugo semel
signat colla per aevum
tristi servitium nota.

XVI.
IBYCUS.

Vere Nympharum manibus rigata
virginum floret teneris in hortis
malus, et vitis tumidos propagat
vere racemos:

at meis nulla requiescit hora
aestus inmitis Paphiae medullis:
sed velut stridens super arva Thracum
fulmina fundit

mille de caelo boreas, rapaces
non minus taedas quatiens Cupido
me procax vexat Lycidaeque durus
torquet amore,

quem comis divae nitidis decorae
Gratiae quondam Venus et iocosa
sub Dionaeis aluere lucis
Mercuriusque.

ille me, quamquam gravidus senecta
lassus ut multis equus a triumphis
otium laudo fugioque plenae
tela pharetrae,

lubrico rursus miserum proterve
intuens voltu maris in procellas
vix repugnantem Cypriaeque in arta
retia pellit.

XVII.

CAPREAE.

Custos aquarum, Parthenope quibus
perfundit oras, fluctibus insula
Sirenia exsurgit, benigne
oppida prospiciens propinqua.

magisque cunctis trans freta regiam
dilexit urbem moenibus arduam,
turres et ingentes ab austri
saevitia et pelago tuetur.

ipsam Cyclopum centimanis velut
structam lacertis blandior adluit
Neptunus obtexitque conchis
spumiferoque sinus liquore.

piscator udis litora retibus
ulmisque clivos vinitor occupat:
lascivit in ponto carina,
colle super viridante palmes.

ut pulchra sudo terra micat Iove
pontusque ridet mille coloribus:
succinctus et villis Vesevus
caeruleum vomit ore fumum.

ac si nitentem lumina verteris
late per orbem, laetus ad insulam
voltum reflectes, quam beata
tecta tenent virides et umbrae.

omnis per hortos aequoris halitu
adflata fragrat copia narium,
ramos et escendit supremos
ardua per tabulata vitis.

cum vesperascit, litora cantibus
stratus phaselo navita personat,
auraque nocturna vocante
tecta iocis reboantque risu.

lucent nigrorum fulmina luminum;
lenes susurri cum cithara strepunt;
pulsata Baccheo furore
tympana sollicitant choreas.

o gens eoa, dum modo retia
praedam ministrent, ditior India,
superba congestas in altum
despice divitias potentum.

qua rodit aetas moenia Caesaris,
spretas tyrannis tuta colis domos
non fata formidans acerba
nec domini minitantis iras.

secreta sedem vestra utinam mihi
dulcem et recessum praebeat insula,
securus ut tandem, senectae
si superi faveant, quiescam.

XVIII.

NOX PAUSILYPOS.

Dormiunt Phoebo scopuli sepulto,
dormiunt valles celeresque rivi,
lenis et ponti radiante luna
sternitur unda.

dormiunt vento moriente silvae;
arborum cervi recubant in umbra;
iam silens artis et apum iuventus
conditur antris.

monstra quae pontus tegit aestuosus,
alitum proles satiata ludo
et Iovis quaecumque vehuntur aura
muta quiescunt.

quique mortales agitant tumultus
nocte placantur: timidas opacum
condit aerumnas lacrimasque sacra
nocte sepulcrum.

XVIIII.

AURORA.

Gemmant recenti roscida gramina
die; citato fons trepidat gradu;
blandis inhorrescunt Favoni
populeae dryades susurris.

faces coruscae nubila dividunt
mutae propinqui luminis indices;
fluctus ut undantes Olympus
instabiles iaculatur ignes.

o surge iam, lux aurea, nec nimis,
Latoe, currum proripias polo:
nam luce fulgentes quieta
laetior, alme, tuas adoro

flammas, iuventa dum tener emicat
nec saevus aestu luxuriat dies:
o si triumphantem liceret
pone sequi liquidas per auras.

rides inanem, magne, superbiam
divum petentis munera: sed mihi
curasque mortales levare,
dive, velis timidamque mentem.

XX.

VILLA PAMPHILORUM.

O cum te placidum contueor nemus
et sancto tenebras usque silentio
tectas, pulsaque leni
pinus flamine murmurat,

caelestes videor Pieridum choros
audire ambrosio non imitabiles
cantus ore cientes
ignotosque homini modos;

ingentemque videns marmoreae domus
molem, magnanimi grande opus Angeli,
hac tellure relicta
aeternos feror ad deos.

felices nimium, tanta quibus semel
maiestas nituit: nam superum favor
vivis adnuit alma
caeli laetitia frui.

XXI.

NEPTUNUS ANCEPS.

Sternit inmensum sopor altus aequor,
gurgite inmoto pelagus quiescit:
prospicit rector timidus rigentes
marmore fluctus:

nulla torpentem movet aura mundum,
plumbeus mortem minitatur aër;
nulla per vastos caput audet unda
tollere campos.

sed vide: scindit nebulas Apollo,
aureo voltu micat altus aether;
Aeolus constricta levat protervis
vincula ventis.

vela iam dextra trepidante nauta
pandit et salsos petulans carina
dividit fluctus, patrioque surgit
ab lare fumus.

XXII.

LACUS LARIUS.

Rura novos fundunt animos, viresque recentes
excitat aura Iovis.
o salve, mea corda tuo quae pectore, rerum
mater amica, foves.

remigis ad numerum placidas agitata per undas
nostra carina volat,
et iuga caeruleum dorso tangentia caelum
obvia praetereunt.

cur, oculi, lacrimas, cur aurea temporis acti
somnia, mens, revocas?
o procul hinc, lacrimae, procul, aurea somnia mentis:
hic quoque regnat amor.

exsiliunt pereuntque ut lucida sidera caelo
lumina mille lacu,
molliaque aërio veluti velamine montes
nubila rore tegunt.

matutina sinus circumvolat aura reductos,
virginis antra deae,
et vitreo geminat speculo turgentia poma
Naias Hesperidum.

XXIII.

PAX AUREA.

O pax alma, tua nam populis ope
gratae divitiae dulciaque artibus
incrementa parantur
et festae superis dapes.

tu cum sceptra tenes, marmoreae pio
arae nunc ovium sanguine, nunc boum
fervent, atque Sabaeo
fumant ture sacraria.

te ruri pecudes et puteum prope
laetantur violae, te gelido loquax
laudat rore cicada
turturque in platano gemens.

at magnae iuvenes urbis in areis
passim difficiles arte domant equos
exercentve palaestram
vel curas abigunt mero.

in scutis laqueos nectit aranea;
deformis galeas et rigidos situs
enses rodit in aede
pugnacis positos deae.

numquam luminibus virgineis fugant
somnum nec litui nec sonitus tubae:
dulces undique vatum
cantus cum cithara strepunt.

nullos ante diem deproperat neci
Gradivus pueros; usque senes vigent
lento robore, molli
vincti tempora pampino.

nostro, diva, libens iam populo redi,
ut tandem posito fine laboribus
belli dulce perennet
laetis civibus otium.

XXIIII.
MAIESTAS DEORUM.

Grandaevus alti cum pater aetheris
sancta quietus fulmina dextera
fecunda telluri trementi
dividit et gravidas fragore

nubes per arces volvit Olympias:
extremam adoro pectoribus pio
horrore percussis amictus
per nebulas fluitantis oram.

nam dis minorem caelitibus brevis
mortalium gens se genitam sciat:
quae sive candentes superbo
vertice contigerit relicta

tellure tractus, undique pendulas
frustra per auras figere lubricos
gradus laborabit protervis
nubibus atque agitata ventis.

seu membra tutis Herculeo tenax
robusta nisu molibus inprimit
terrae, nec aequabit cupressum
nec tenuem brevitate vitem.

quo distat humanum aetherio genus?
longo deorum tempora flumine
feruntur; at tollit diurnos
unda viros recipitque Lethes.

angusta nostros continet orbita
cursus, et ingens circuitus cito
rerum renascentum catervas
innumeras hominum regignit.

XXV.

VENUS PERFIDA.

Ergo, Pyrrha, tuus consenuit mihi
iamque in perpetuum mortuus est amor?
atqui cognita menti
vox semper resonat tua.

ut frustra cupidus suspicit alitem
cantantem spatiis aëriis super
primo mane viator
sublatam ad solium Iovis:

sic te sollicitus carmine lugubri
nequiquam per agros, per nemus invium
quaero, te prece multa
obtestor: misero redi.

XXVI.

NEC ASPERA TERRENT.

Multos onustum navigium dies
noctesque nostrum stabat in ancoris,
dum lentus exspectans secunda
flamina cum sociis ad oram

ponti sedebam, taedia temporis
solans Lyaeo spemque fovens bonam:
ipsi retardatum dolentes
faustum iter et properum precantur

diversum in orbem: 'per freta turbida
vecto redundet divitiis tibi
longinqua tellus; mox tuorum
te reducem teneant lacerti.'

et nocte pulsa discutiunt graves
somnum tumultus: fervet opus viris,
nautaeque suspensi laborant
alitibus dare vela ventis.

intenta turgent flamine lintea;
candente caelum luce rates vocat:
secat profundum navis aequor,
alta poli secat arva nubes.

ingens euntes prosequitur viros
plausus: quietos spondet amor scaphae
cursus, et addicunt sereno
sole dies placidaeque noctes.

at missa divis flabra ratem retro
ab instituta deiciunt via:
quamvis et obliquo laborat
rector iter celerare cursu

ficto furentes obsequio notos
et fraude tecta decipiens, tamen
mox atra tempestas opacis
nubibus ingrediens propinquat

premens ad undas attonitas aves,
premens paventis pectora navitae;
velisque contractis carinam
pontus atrox rapiuntque venti.

sed dum relicti fluctibus obrutos
plorant amicos in solida domi
terra trementes et querellis
flebilibus superos fatigant,

clavum ipse forti nauta tenet manu:
quamvis procellis ludibrium et mari
iactetur insano carina,
nec mare nec quatiunt procellae

constantem in omni saevitia virum
vitae: tumultus inpavidus freti
spectat voluntatique fidit,
tempora quidquid agunt, deorum.

XXVII.

VILLA BORGHESINA.

Numquam, quotquot agunt et rapiunt dies
horae, conspicuum comminuet decus
inportuna senectus,
Borghesina domus, tuum.

hic ex arboreis signa nitent comis;
hic veris tepidi larga serit manus
florum milia, cunctis
oblectamina sensibus.

hic dulces tenebrae pascuaque advenas
invitant viridi pinguia gramine
silvarumque susurri
mixto murmure fontium.

invitat vitreus marmoreis latex
ex conchis saliens raucaque turturis
vox sub fronde gementis
suaves et volucrum chori.

hic, o Melpomenes Teutonicae decus,
Torquati peperit dulce melos tua
mens divina sub altis
aeternum platanis opus.

te fontes nemorum et laurus Apollinis
hic dicunt tacita voce, tuas sacrae
pinus atque cupressi
laudes et zephyri canunt.

hic tecum veteris gloria temporis,
heroum tenues et sapientium
umbrae, nocte loquellam
sublustri sociare amant.

XXVIII.

AMNIS VINCTUS.

Quid usque dormis et glacie tua
constrictus haeres, nate deo puer,
temnisque Titanum sodalem
degener Oceanum parentem?

a quo salutem quae tibi nuntiant
vitalis aurae flamina neglegis?
Phoebum nec advertis fugantem
purpureis hiemem sagittis?

tumet, tumet iam flumine fervido,
ut cum sub alta Naiadum domo
ludebat, et tandem superbus
robore progreditur iuventae.

cunctator olim, nunc validis recens
bellator ausis vincula disicit
et fracta per ripas fragoso
cum sonitu cumulasse gaudet.

montesque somnos excutiunt graves
et turpe silvae servitium; procul
ad fratris exsultans triumphos
in latebris fremit alma Tellus.

sed rura vernis dum zephyris tepent,
aeterna ponti vadit ad aequora:
nam finis errorum fluentis
nulla nisi ad patrios penates.

XXVIIII.

PALMARIA.

Ubi ora portus Veneris ad Corsas aquas
sinuosa septem porrigit,
fanum nitebat ante, nunc in litore
exile pendet oppidum.
procera contra latera pandit insula
(Palmariam nautae vocant)
habitata paucis atque dispersis focis
virisque paullo pluribus.
clivos oliva leniores occupat;
adsueta floret fluctibus
ubique myrtus, ficus et vitis virent,
nutatque pinus vertice.
at in recessu litore haud procul latet
opaca ramis villula:
hic sidus arcent fervidum frondes mihi
purique frigus aëris,
flatusque matutinus et rores salis
et dulce recreat otium.
candente montes marmore insurgunt procul
subterque vicus Lerici,

nudis et Appenninus inminet iugis,
dum laetus exsultat mari
cum merce lembus, dives ut magnas opes
mercator abdat horreis,
seu gravida tellus mala mittit Trinacris,
seu vina Genua Gallica.
sed si venustas te domus meae vocet,
unum fatendum incommodum est:
lautam culinam maestus hoc in angulo
desiderabis et coquos.
rudis ministrat nauta nunc victu focum,
a proximo qui litore
cumba reducit mane quidquid inpium
ventris furorem mitigat.
atque haec aperte cuncta praefato mihi
rogare permittes: veni.
umbris carere si vales Florentiae
villaeque amoenitatibus,
quae saepe tectis hospitem excepit libens
conviviisque caelitum;
habitare terram si vales et litteris
adhuc novercam et artibus
(quamvis et haec proferre divinos loca
viros Columbus admonet);
lingua carere si vales Tyrrheniae
et vocis elegantia,
Ligurum nec horres barbaros nimis sonos
Gallamque neglegentiam:
veni. — recusas? — non dolet: quacumque enim
terra moraris, aureo

animae nites candore, doctus artium
regnas in amplitudine.
sed huc tenere si placet, fingas cave
Capreas tibi aut Neapolin,
ubi Voluptas blanda Sirenum sonis
humana mulcet pectora.
illinc temeritas exsulem et fastidium
in has abegerunt plagas,
sed iam latens in corde paenitentia
retro vacillantem trahit.
quodsi renidens Insubrum spectavero
templum sitamque in aequore
urbem, citatis passibus meridiem
petam, vel Anconae fugax
spernens amoenum litus atque orbis caput,
dum terra condat aurea
fessum, tumultuque horrido vitae procul
arbusta Surrenti tegant.

XXX.
HESPERUS.

Contentus umbra iam fruitur casae
arator ignes adspiciens foci
fumantis, invitatque somnos
Hesperus exoriens Olympo.

portus ab alto iam repetunt rates;
clamor per urbes et strepitus fori
mitescit et stratis per herbam
corda viris aperit Lyaeus.

at tu, miser, quo tendis? alit labor
mercesque cunctos: post opus otio
gaudent: at his numquam quiescent
pectoribus stimuli dolorum?

vernat rosarum floribus Hespero
spargente caelum, mundus et aureus
renidet: o illuc levate
purpureae nebulae beatum,

ardore quamvis hoc pereat caput.
sed iam rubentes, dum precor, aetheris
flores fatiscunt; ipse solus,
ut soleo, tenebras pererro.

ergo aestuantem, Somne, cupidine
compesce mentem. sollicitudines
turbaeque sedantur iuventae:
mox hilaris sequitur senectus.

XXXI.

PSYCHE.

Quem suo quondam furiosa tecto
expuli, numquam iuvenis redibit?
semper inmites quatient puellae
pectora curae?

fervidis voltus lacrimis rigatur,
corpus et diro trepidat pavore,
cum mihi quae sunt toleranda fata
mente recordor.

namque mandatis Veneris severae
ire Cocyti iubeor per undas
et tenebrosi petere hinc tremenda
limina Ditis.

quasque vix magni superavit oras
Herculis virtus, teneris adibo
debilis membris et abominatae
conscia culpae.

quam mea si nunc resecare possim,
Iuppiter, vita, deciens acerbae
mortis extremos patiar quieta
mente dolores.

sed vel his multo graviora (novi)
inproba et mendax merui: mariti
iussa quae temnens prope caede rupi
foedus amoris.

dulcis o coniunx mihi nunc adempte,
quem tamen quamvis titubans amavi,
non precor vitam, veniam petenti
redde puellae.

XXXII.

AMOR.

Carior vita mihi quae fuisti
atque eris, coniunx, utinam liceret
quidquid inponunt tibi fata duri
ferre marito.

crede non umquam miserae tueri
mente secura tua me pericla:
quem nec incautae thalamis beatis
ira removit,

sed deum leges graviorque (crede)
vel tuo luctus; neque nunc acerbis
territam curis mea te relinquet
certa voluntas.

at vetat poenam relevare fatum:
caeca iam soli via permeanda
mortis et numquam reserata divis
atria Leti.

perfer o tantos patiens labores:
namque si tandem Veneris peracto
rite mandato Stygia redibis
sospes ab unda,

ora Lethaeis renovata lymphis
omnis et noxae laqueis soluta
laeta sublimem repetes micantis
aetheris arcem,

sol ubi aeternus nitet ac perenne
gaudium coetus hilarat beatos,
nec tuo pellet latere ulla fidum
culpa maritum.

XXXIII.

REDITUS IN PATRIAM.

O flamen auras Hesperiae ferens,
occulta densis flumina frondibus,
montes et undantes, aprica
culmina, vos rediens saluto.

luci silentes, vos mihi somniis
visi diurnis atque laboribus,
et tu domus, ludentis et vos
iam pueri tiliae sodales,

vobis quot annos heu carui. vigor
defervit et spes credula concidit:
sed quidquid inmutavit aevum,
sanctus amor patriae remansit.

tecum secundis rebus et arduis
ut perfruantur, patria, liberos
foves, et in somnis remoto
saepe vagos revocas ab orbe.

mox cum quieto pectore fervida
cessat libido iamque ferociam
divina debellat voluntas,
te sapiens repetit viator.

ergo iuventae sparsa rosis via
curaeque amoris laetaque somnia,
valete, et exceptum beate,
di, laribus patrioque caelo.

LIBER SECUNDUS.

I.

VENETIAE.

a. MDCCCLXII.

In media recubat pelagi regina palude,
pulchra, superba (domus fanaque mille nitent),
sed tacita et squalens umbrisque simillima somni,
quas iubar aurorae nocte cadente fugat.
ad portas non ulla viast: latet aequore mersa:
per vicos ultro stagna citroque meant.
pallida marmoreas spectat lux alma diei
ceu maerens aedes inlacrimansque malis.
manibus ut positae vel maestae insignia pompae
stant in aquis turres magnaque templa deum,
et quos quadrupedis numquam ferit ungula pontes
tectaque ceu rigida morte sepulta iacent.
in domibus vacuis musco stant oblita signa,
vixque tegit domini tabida membra palus;
inlaqueant algae scalas; ululatibus aër
et querulis circum planctibus unda sonat.
at tu, si lacrimare libet devotaque leto
flere opera et fastus et monimenta virum,
ne sol nocturnas umbras ubi dissipat, urbis
avolet et Venetae flebilis umbra, veni.

II.

PANORMUS.

Iuppiter a celso quondam spectabat Olympo
terrarum tractus velivolumque mare,
sed fluvii, montes, silvae campique virentes
squalebant: deerat gratia laeta locis.
sic etiam sordens hominum genus antra colebat,
vitam non ullis artibus exhilarans,
sed pecudum ritu brutum, quod in orbe venustas
nulla nec aetherii signa nitoris erant.
horum igitur sortem miserans Saturnia proles
continuo divos conciliumque vocat
atque 'homines' inquit 'quoniam nunc arcet Olympo
nec patitur fatum vescier ambrosia,
hanc tamen ut tolerent aliquo solamine vitam
quaeque manent ipsos gaudia praevideant,
ex Erebi felix adsurgat gurgite tellus
omnibus et divum nobilitata bonis.'
nec mora: terribili Pluto fera Tartara dextra
concutit, ex undis et nova surgit humus.
ad caelum attollit glaciali vertice montes
Volcanus variis dissociatque iugis:
in gremio latitant argenti aerisque metalla,
mixtaque marmoreis aurea vena riget.
Neptunus vitreo circumdat litora ponto,
et freta delphines turba proterva secant.
emergit Cytherea vadis campisque nitorem
collibus et speciem datque benigna decus.

munere Naiadum fecundo ex viscere terrae
per valles stillat fertilis umor aquae,
viribus et variis et mille coloribus herbas
distinctas spargit divite Flora manu.
adicit his Pomona piros atque aurea mala
Alcinoi, Faunus mox genus omne gregum,
mollitis et aqua flaventia semina campis
frumentique Ceres candida credit opes.
Liber pampineas in collibus erigit umbras
fraxineasque super monte Diana trabes.
ipse pater liquidas pandit Saturnius auras
lucentem et placido temperat igne polum,
ut neque iam pluviae nimio nec sole calores
frigorave huic possint ulla nocere plagae.
adde quod et citharae cantum suavemque loquellam
Delius ipse deus Mercuriusque viris,
et varias artes intacta Minerva puellis
et decus invictum Gratia casta dedit,
et faciles Iuno partus prolemque venustam
constantem et vitae tempus in omne fidem. —
qua lateat terra tam felix insula quaeris?
quaeque sit urbs illis aedificata locis?
insula Trinacria est: litus nunc aurea nomen
concha gerit: medium gemma Panormus habet.
felicem nimium. vel post Saturnia regna,
aurea cum Virgo fugit ad astra poli,
his arvis mansere deum caelestia dona
atque etiam nostro tempore larga manent.
o miseram nimium. caelestia dona manebunt
fecundo semper multiplicata solo:

at placidis Mavors mortalibus invidet unus,
ditandis veluti defuit unus agris.
hic Italos Cimbrosque, Asiae Libyesque catervas
incitat et semper bella cruenta movet,
nec timet horrescens incertis flatibus aequor,
sed tumidas audax navita tranat aquas,
turbat et Elysios misera formidine campos,
ut nec in Elysio sit tibi certa quies.

III.

NAVIGATIO NEAPOLITANA.

Parthenopes tenui radebam litora lintre
et circumvectus busta Maronis eram,
cum grato nares stimulat nidore culina
et necopinati spe trahit hospitii.
adpuleram lintrem: mox dulci ductus odore
adscendo occultum quem tenet illa locum.
spargit ibi patulis sublustrem frondibus umbram
ficus, et haud magna fauce caverna patet,
quae procul aestivo per opaca crepuscula Phoebo
in noctem gelidum porrigit ima sinum.
his terrae latebris inerat non sola culina:
quae stomacho placeant esuriente, vides.
namque ubi cum tenebris Titan confligit et umbra,
adstat cum verubus lucidus igne focus,
incertis varians lapidum curvamina flammis;
fons salit ex imo gurgite iugis aquae.
temperiem aestivam dicas. perrexeris intus:
protinus autumni spirat amicus odor.

suspensos pisces pernasque tueris, humique
congestos fructus et genus omne penum;
et propior muraena notis insignis et auro
distento rictu ceu fera tigris hiat.
ulterius residet Paeligno frigore bruma:
nil melius vincat fervida tela Canis.
ipse lagoenarum numerus testaeque docebant
hic Bacchum sedem constituisse suam.
nec mora: dona dei mihi pulchra puella ministrat,
instruit et mater sedula rite dapes.
muraenam sapiens mollit ferventibus undis,
Romuleis olim delicias epulis,
cui pelagus quondam domuit Lucullus et altos
montes: piscinae fragmina pontus habet.
atque saginatam, doctis si credere fas est,
humana prisco tempore carne ferunt.
sed mea tunc sceleris (mihi crede) haud conscia tanti
pro proavis poenas dilacerata dedit:
neve adsueta fretis in ventre sitiret, Iacchi
promebat latices usque puella mihi.
sic postquam devicta fames, sed fervida nondum
pulsa sitis, medium sole tenente polum,
Cimmerias adiens antri gelidasque tenebras
inmeritis feci proelia magna cadis,
donec non dubie victor spoliisque recumbens
somnifero extendi languida membra deo.
tandem ubi iam frigus ducebat amabile Luna,
luridus incolumem reddit ad astra locus;
mox rate deducta recreato corpore laetum
excepit sero vespere Parthenope.

IIII.

POMPEII ET HERCULANEUM.

Quid video, tellus? riguas poscentibus undas,
alma, quid obscuro reddis aperta sinu?
Tartara iam vivunt? hominum nova sedibus Orci
exoritur proles? an tumulata redit?
Pompeii veteres (Romani et noscite Graeci)
surgunt: ex tenebris urbs redit Herculea.
templa deum surgunt, spatia et sua porticus ampla
pandit et humana vivere voce cupit.
scaena patet caveaeque orbes, vacuique theatri
ostia per septem Bacchica turba ruet.
incipe, Melpomene: sceleratum confice sacrum,
Atride: natum terreat angue chorus.
cui fornix nitet ille? forum cognoscitis et quae
corpora prisca virum sella curulis habet?
conscendat sellam praetor. praeferte secures,
lictores. testis prodeat atque reus.
strata viaeque vacant, structis praetexit in altum
saxis angustus limes utrimque domos.
suggrundae prohibent pluvias: conclavia circa
desertum inpluvium non habitata silent.
pandite iam portas clausasque aperite tabernas
et laetum pulsa nocte vocate diem.
ante focum scamna, ut possis considere, cernis:
crusta tegit varium vermiculata solum.
ut formis vernat paries vivoque colore:
pictorem scitum vix abiisse putes.

en varios inter flores et poma figurae
quam lepidae. simplex regnat ubique decor.
portat Amor plenis redolentia mala canistris,
sub iuvenum pedibus fervida musta fluunt.
Maenades exsultant alacres fessaeve quiescunt,
lumina nec satiat Pan animumque tuens.
haec velox celerem Centaurum exercet et uno
nixa genu thyrso suscitat uda ferum.
heus, pueri. superans adstat tot saecla supellex,
urceus et, famulae, vos vocat aptus aquae.
ac tripodes restant alata Sphinge decori:
ergo iterum crepitet frigidus igne focus.
mercari libet? ecce Tito percussa moneta,
nec trutina aut desunt pondera certa loco.
candelas nitidis infigite candelabris,
et sitiens oleum pingue lucerna bibat.
arcula quid tenet haec? genialia dona mariti:
fibula quam gemmis atque monile micat.
ergo sponsa abeat lotum. pigmenta colorum
unguentumque (vides) haec alabastra tenent.
verum ubi sunt homines? — pretiosa volumina condit
librorum angusto bibliotheca loco.
scribendo calamos habiles tabulasque videtis
ceratas: tenebris omnia reddit humus.
caelicolas etiam reddit redditque penates
terra: sacerdotes cur tamen usque latent?
temptat iter liquidum gaudens Victoria palma
Mercuriusque deum nuntius ecce volat.
stant etiam incolumes arae: succendite flammas,
quisque diu caruit tura cremate Iovi.

V.

ROMA.

Hoc erat in votis: Romae meminisse dierum,
lurida cum Geticos umbra premebat agros,
plumbeus et circa ceu non superabile pondus
orbis erat formis atque colore carens,
cumque ego de maestis animi meditabar in aevum
pugnantis secum sollicitudinibus.
nunc mihi candidior frontem conlustrat Apollo:
forma redit rerum cuique colorque suus.
lucida nox astris; resonant vaga carmina vicis;
clarior it Scythico luna serena die.
quae mihi permanat mortalia membra voluptas?
an tua mutato, Iuppiter, aula patet?
hic iaceo et supplex palmas tibi, maxime, tendo:
hospitii nec dis spernere iura licet.
sum tuus hic hospes, seu me per nubila Somnus
seu rapuit sedes Iris ad ambrosias.
heroisne animae magnum patefecit Olympum?
erroris veniam mique deaeque dabis.
sic temere et Fortuna deorum munera saepe
dividit, ut mulier, filia, magne, tua.
Iuppiter hospitii vindex, miserere precantis
neve iterum in terras hinc remeare iube.
'quo raperis, vates?' — ignosce: per aethera vecto
mons Capitolinus magnus Olympus erat.
sit, pater, hic requies. olim Cyllenius umbram
post Cesti molem ducat in Elysium.

VI.

VEL ROMA SINE AMORE FRIGET.

Dicite iam, lapides, vosque, alta palatia, testor,
dicite, vosque, viae. mortua, Roma, iaces?
cum tua corporea vel moenia voce loquantur,
urbs aeterna, mihi cur taciturna silent?
quis mihi quae specie recreans torrebis amicum
prodet qua lateas, blanda puella, domo?
ambages nondum video latebrasque viarum,
quis adiens perdam te rediensque diem.
miror adhuc turres statuasque et templa, viator
ut sapiens hora scit fugiente frui.
mox, spero, melius. castis penetralibus unus
mollia cultorem sacra docebit Amor.
par nihil orbis habet Romae: sed inanis amore
orbis non orbis Romave Roma foret.

VII.

AMOR PRUDENTIAM RIDET.

Servitione volens dem libera colla puellae?
at gravius vereor ne mihi fiat onus.
ergo hunc continuo fugere experiamur amorem
atque hodie dominae non remeare domum.
esto. qua ratione tamen placabimus ipsum,
has qui pectoribus subdit alitque faces?
carmina grata deo. placabit carmen Amorem:
ergo age, mellitos praecipe, Musa, modos.

en intacta meo lyra consonat aurea plectro,
diva venit votis obsequiosa meis.
proveniunt certo numerosi limite versus,
subsequiturque uno linea clauda pede.
perfecisse vides modo quae susceperat artem,
Sisyphiusque fuit non sine fine labor.
nunc igitur quid fiet, Amor? — properemus, amice,
atque novum dominae iam recitemus opus.

VIII.

DIES IRAE.

Ultimus ille dies, quo cuncta ex morte resurgent
iudicium et sontes iustaque poena manet,
lux mea, dictorum rationem denique poscet,
quae temere incautis mentibus exciderint.
tunc iudex si verba mei recitabit amoris,
duritiae testes et documenta tuae,
ni iam desieris cunctari et nectere fraudes,
hibernis nivibus maior acervus erit.
ergo ne poenas alieni criminis insons
turba luat, miseras accipe sera preces.
nam si verborum rationem reddere cogar,
quis studeo frustra corda movere tua,
verborum et cumulos aliis defendere verbis,
ultimus ille dies integer annus erit.

VIIII.

IN THEATRO MARCELLI.

Extremos frustra me Caesar ad usque Britannos,
non tua me frustra, Flore, popina vocet.
nam magis invisus boreas et nubila caeli
pulicibus, rabidos quos parit Hesperie.
ac magis hac ab luce mihi salvete, popinae,
Romulea semper gente referta loca:
nam mihi monstrastis patruo comitante puellam,
cui, me ne careat, tot struit illa dolos.
hinc mensa adstabat bibulis stipata Cheruscis,
hinc sedet ad matris scita puella latus,
atque oris partem scamno mihi commoda moto
totaque mox cupido colla tuenda dedit.
insolitam attollit vocem: tum vina ministrans
multa supercilio me sine voce monet,
consulto effundit latices, mensaeque faceta
en liquidas digitis ducit in orbe notas,
utque animos coniunxit amor, duo nomina iungit:
scribentis digitos usque sequebar ego.
nec latui lepidam: numerorum en ordine quintum
ante et lineolam ducit: ut intueor,
exstinguit numeros multis super orbibus actis;
at non exstincta est hora beata mihi.
compressis tacitus labris laetusque sedebam
lascivo ardores exstimulante deo.
ad noctem quantum spatii: dein quattuor horae:
Sol Romam spectas insatiate tuam.

nil nec nunc visis poteris nec visere maius,
si qua fides vati, candide Phoebe, tuo.
hac sed luce tuos volvens properantius ignes
collibus a septem flecte benignus equos
horarumque moras mediarum rumpe poetae,
quas cupidus nimias tendere pictor avet.
ardenti fugiens haec alta palatia voltu
templaque porticibus cincta tuere deum
et te merge fretis, per saecula pectore laeto
quas spectas citius cras tuiturus opes:
hasce palude diu tectas et arundine ripas
densaque virgultis arboribusque iuga,
nec multis habitata casis: mox agmine denso
praedones fluvio rura propinqua colunt;
omnia dein posita hic spectasti praemia mundi,
digna nec obtutu cetera terra fuit.
imperium hic natum est et fractum corruit orbis,
ex fracto natum maius et imperium:
cuius ut, alme, fruar te conlustrante nitore,
fila mihi tardo pollice Parca neat.
at nunc hora mihi lepide promissa recurrat.
quartane adest? certe tertia praeteriit.
sic longum, Musae, procul est quod tempus amica
vivendum, gratae fallitis artis ope.
iamque valete: abeo. facile ignoscetis: Amori
vos etiam fastu ceditis usque deo.

X.

EQUES CAPITOLINUS.

In Capitolina magni vetus eminet arce
   signum equitis: mira corpus ab arte nitet.
frendit equus membrisque ferox oculisque minatur;
   os equitis placidum, lumina laeta vides.
obscura pridem latuerunt nocte sepulti,
   non tamen absumpta est gratia viva situ;
argutus mansit per plurima saecula voltus,
   oraque subrident nunc quoque fusca senis.
quadrupedis valido sublata est ungula nisu,
   progrediturque alacri belua prompta pede;
et quamquam domini frenis constringitur ingens
   membrorum moles obsequiturque libens:
at nervi intenti turgent, et naris aena
   ut calidis spirat frigida flaminibus.
Marcus enim vehitur tergis Aurelius, orbis
   et dominus bellis et pietate parens:
protendit dextram, pugnae pacisque potentem,
   ceu cohibens plausus laetitiamque virum,
et placido populum spectans voltuque modesto
   ex celso cives rite salutat equo.
haec quondam domitrix prostravit dextera Parthos,
   haec eadem Hercyniae Marte favente duces;
haec quondam sapiens felicem praestitit orbem,
   haec mitis Romae sceptra quieta tulit.
verum hodie nusquam populi exsultantia circum
   gaudia: mutata solus in urbe silet.

cuncta novata videt: quamquam haud procul aede Tonantis
tecta urbis superat celsa columna patris,
ipse tamen pater heu pridem descendit, et alter
obtinuit spreta relligione locum.
ac delubra procul cernitque palatia magna
trans fluvium: fulget sole cadente domus:
illinc nunc pavidus regnat falsaque sacerdos
constrictum volgus relligione tenet.
arguto nova cernit eques miracula voltu,
oraque subrident nunc quoque fusca senis.

XI.

GLAUCUS.

Caecis in tenebris ipsa ad fundamina terrae
atria sub pelago daedala Glaucus habet:
argento radiant postes, laquearia tecti
argento: gemmis pila foresque micant.
ipse maris custos novit quaecumque fuerunt
quaeque vehit praesens quaeque futura dies,
atque oculis liquidas longe penetrantibus undas
arcana Oceani stagna reclusa videt.
at tamen infelix sola rex solus in aula
maeret nec sortis gaudet honore suae:
interdum placidis emergens horridus undis
udaque membrorum litora mole premens
miris verba modis, miras ciet ore loquellas,
quis gravis ad tempus cura repressa silet.

'o qui me pelagi iussisti Iuppiter' inquit
'in latebris vitam degere perpetuo,
cur procul, a, monstras alieni gaudia mundi,
quo numquam misero das, metuende, frui?
nil ego si nossem nisi opaca crepuscula ponti
et virides hortos antraque vasta maris,
otia contentus traherem secura per aevum,
nec ferus haereret cordibus usque dolor.
at nunc astrorumque vices caelique meatus
dispicio et rutilans solis ab orbe iubar,
dispicio campos niveoque cacumine montes
et nemora et flores et genus omne feras
et laetas alacresque hominum prope litora gentes
quaeque poli pulsant carmine limen aves.
quid validum robur, quid mens praesaga futuri,
quid iuvat aeterni vita molesta dei,
si tamen in tacito est aetas ducenda sepulcro
inter opes inopes brutaque monstra sali,
et desiderium sortis melioris et omne
tempus inexpletus pectora torquet amor?'
haec ait et squamis succincta et piscibus ora
umidaque aeternis membra recondit aquis,
invisaeque iterum subit alta silentia noctis,
quae stimulos animi votaque vana premunt.
o si forte iuvant et vos solacia, divi,
et socius relevat pectora vestra dolor,
accipe, maeste pater: superis qui vescimur auris,
inpatiens ut te nos quoque vexat amor.
nos etiam in tenebris pigrae sub limine noctis,
nos etiam in pelago vivimus aërio;

unde ubi suspicimus, praeclarior undique mundus
purior atque aether liberiorque vocat,
et quoniam illius spatiis excludimur orae,
nil quae tu laudas gaudia nostra valent.

XII.

IANICULUM.

Quam varia oblectat mentem dulcedine Roma:
vita quid esse queat, mortua nempe docet.
quotquot enim Titan terras conlustrat et urbes,
non ulli tantum fata dedere decus.
relliquias operum tantorum conspice mecum:
quam multa invictae saecla tulere situ.
Agrippae vel adi fanum tacitasque tenebras:
quam sacer antiqua relligione locus.
has nec mente capis veneres nec vocibus aeques:
sed cunctis Roma est pulchrior ipsa tamen.
ergo Ianiculum pinis hortisque decorum,
ante alios colles tu mihi semper ave.
vespere nam lassum turba strepituque viarum
tu recipis placido, dulcis amice, sinu.
ventum est ad Tiberim: laeta tu fronte renides:
te peto, ceu matris pectora cara puer.
gramine me viridi recreas suavique recessu,
invitatque umbris hortulus aediculae.
incolit hanc divinus Onuphrius: ossa virorum
herboso venerans caespite condit humus.

perlustrare libet titulos? hunc adspice mecum:
'Torquati tegit hic membra sepulta lapis.'
alma quies, hic ipsa sacra requiescis in umbra
et vati praestas otia sacra tuo.
maceriam scando: rutilantes undique flammae
et nebulae, caelum Romaque magna patet.
poplite submisso tueor ceu magnus Olympo
Iuppiter, in terris quidquid ab arte nitet.
o cui non pelagus, non visa est Roma, nec orbem
nec maiestatem novit in orbe dei.
ore favete: vides simulacra exire sepulcris
quorum opera hic exstant prodigiosa virum
et resonare super tumulis sine corpore voces,
fata velut tristi carmine Parca canat?
quo feror? en laeto caelum splendore coruscat,
ferventique aër solis amore calet;
caeruleus laetam tellurem amplectitur aether,
ut primo nituit vere tepente dies.
adspice ut Hesperidum rident ex arbore mala
perque comas laurus candida signa micant;
ut speciosa umbrat villarum tecta cupressus,
pinus et incurvo vertice celsa riget;
ut molem lugens Tiberis circumfluit Aeli
turribus et flava lentus oberrat aqua.
hinc aedes late tendit sua moenia Petri
adfectantque tholi nubila culminibus,
hinc Iovis arx quondam summi, tristesque ruinae
Romulei collis Caesareaeque domus
eversae maerent ut saxa ingentia montis,
quem manus ultoris diffidit igne dei.

silva columnarumque obeliscorumque per omnes
ad Cesti tumulum panditur usque vias;
undique fana nitent divum, circumdata lucis,
arcusque et turres innumerique lacus;
ac procul Albanos montes arcesque Sabinas
purpureo tinguit sera vapore dies.
ceu gena virgineo suffusa pudore puellae,
cum iungit dubitans oscula prima viro,
cuncta rubet tellus: Soractis prospice clivos,
nube velut tenui quos levis umbra tegit,
Tiburis et colles Praenestinosque recessus
Volscorumque procul fulgida luce iuga.
inmensum liquido spatium micat aëris auro
et placido splendens aestuat igne polus.
tollite felicem Bacchique furore calentem,
tollite iam, zephyri, litus ad aetherium,
hos valeam ut totos oculis comprendere campos
vel fortunatis Elysiisque pares.

XIII.

AMPHITHEATRUM FLAVIUM.

Arcubus insurgunt arcus: velut omnia in unam
colligat ingentem Roma tropaea domum,
Flavia se attollit moles, arx vasta Gigantum:
attonitus spectat Iuppiter ipse polo.
moenia cana vides, misera spoliata ruina,
sed certare quibus regia nulla queat;

moenia rupta diu; sed magna palatia, turres
    oppidaque ex horum sunt repetita situ.
cum procul adspectas ingenti mole cadaver,
    vix aperit damni magna ruina locum;
si tamen accedes, patefactum ignobile furtum
    temporis atque hominum prodet avaritiam.
odit propterea Phoebum sidusque diurnum
    telaque volneribus vitat iniqua suis:
at cum luna redit funditque argentea lucem
    et medio escenso vertice plena micat;
cumque per hiscentes scintillant sidera rimas
    et frutices noctis lenior aura movet
(o blandos frutices, nudis pia tegmina muris,
    quae facili spargit Flora benigna manu):
tum surgunt heroes humo levibusque susurris
    priscorum memorant grandia fata ducum,
et gemitus resonant hominum vocesque ferarum,
    et specie pugnae rursus arena fremit.
'Flavia dum stabit moles, et Roma manebit,
    cum ruet, et Romam fata suprema prement;
et cum Roma ruet, ruet altum a culmine caelum'
    narrat ab antiquis tradita fama viris.
innumeros durat volvendis mensibus annos
    cum fundamentis inlabefacta suis:
stat Roma et Romae moles quoque Flavia mansit,
    clementisque micant caerula templa dei.

XIIII.

OBELISCUS S. PETRI.

Historiae testis priscorum erectus avorum
innumeros vidi volvere fata dies,
multaque saepe volant apicem ceu somnia circum
praesentisque aevi praeteritique meum.
miscentur species rerum; patriusque quod olim
Nilus, idem ostendit Thybridis unda mihi.
vidi ego pontifices tacita prudenter habenis
adductis hominum comprimere arte genus,
imperitare animis, belli praevertere casus
et regum diris flectere corda minis.
mentitos finxere deos templisque dicarunt,
vi populum veri perdomuere dei.
consilio unanimo semper stabilique potentes
fortunae signum me posuere suae.
inmoti stabant et multa caede cruenti,
gens numquam dubio sollicitata metu.
vix tandem sera fracti cecidere ruina
occultum populo perspiciente nefas.
sed mox Hesperiis illos imitantur in oris
arte quidem multo callidiore viri,
imperat et cunctis concors constantia terris
fallaci tardans fata severa dolo.

XV.

TACITURNITAS AMORIS.

Libera lingua virum decet et constantia fortis,
at celanda decet posse silere magis.
o taciturna Fides, urbes quae frangis et auges
et mihi pacatos ducis amica dies,
quam sortem experior: nolenti labra resolvit
Musa iocans, ludens labra resolvit Amor.
o quam difficile est regum peccata tacere,
quae nec apex Phrygius nec diadema tegit.
mutatas ita forte Midae conspexerat aures
servus, et extemplo visa referre cupit.
effodit aeger humum, curis ut pectora solvat:
non arcana sibi credita celat humus.
nascuntur calami, trepidant ventoque susurrant
'ecce aures asini rex habet ecce Midas.'
sic mihi difficile est arcanas condere flammas
comprimere et labris quod mihi corda beat.
cui fidam tutus? mater reprehendat: amico
vel minus: insidias nam struat ille mihi.
et silvae secreta cavis vel gaudia saxis
aut puer aut Cephalus, non ego crediderim.
vos igitur, molles elegi, vos discite soli,
dilectum ut foveat cara puella virum,
quam circumcursans audaci fronte Cupido,
mox petit occultis cautior insidiis.
sed varios fugit illa dolos, et novit amantem
quo cupidum inveniat sole cadente loco.

Luna, morare: venit: ne qua vicinus Enipeus
spectet. fac frondes fortius, Eure, sonent.
at vobis annus, pia carmina, flore redundet
blandaque vos Italae mulceat aura plagae,
utque leves calami populo post deinde Quirini
dulcia felicis prodite furta viri.

XVI.

AMOR ET FAMA.

Haud facile est miseris famam servare poetis:
nam fera semper Amor Famaque bella gerunt.
audistisne etiam, fuerit quae litis origo?
fabula prisca virumst quamque referre iuvet.
diva potens Fama est, sed numquam grata deorum
mensis: perpetuo solaque dicere amat.
ergo ubi dis huius cenantibus insonuit vox
ferrea, non nectar, non iuvat ambrosia:
taedia Iunonem capiunt capiuntque Minervam,
ridet in occulto cum Ganymede Venus.
sic quondam verbis referebat vana superbis
Alciden dominam servitiumque pati.
'Herculeum robur mea gratia, Iuppiter' inquit
'insignem sedes ducet ad aetherias,
non illum Alcmena mortali stirpe creatum:
quod coluit Famam, surget ab orbe deus.
suspicit ad caelum? tua quaerere lumina reris.
deciperis: voltus suspicit ille meos,
utque meos mereat thalamos, dignissimus heros
intactas aliis audet inire vias.

verum etiam mihi semper amici gloria cordi est.
nam facto citius nomen ad astra tuli.
hunc mihi iunge toro. qui vicit Amazonas, illi
nec me victori succubuisse pudet.'
finierat, superique tacent: novere nocentem
et metuunt linguae dira venena malae.
exit Amor coetu (puerum neglexerat illa):
Alcides dominae fert iuga pulchra novae.
mutat Amor vestes: umeris spolia ipsa leonis,
fertque manu clavam quam titubante puer;
Herculis horrentes conspergit flore capillos
datque colum manibus; gaudet uterque ioco.
his ita confectis ad magnum tendit Olympum
et magna clamat 'currite' voce 'dei:
non tellus caelumve nec indefessus in alto
curriculo Titan talia monstra vident.'
adproperant omnes: norunt et vera referre
ludentem, remanet Fama nec ipsa loco.
ante alios indigna tuens spectacula Iuno
exsultat plausum nec cohibere potest.
at Famae quanto quatiuntur corda tumultu.
principio ridet: 'creditis haecce, dei?
nam personati ludunt inpune tragoedi
numina, nec species Herculis ista meist.'
sed simul agnovit muliebri veste latentem,
aufugit ex aula maesta silensque deum.
hinc numquam pueri cum virgine proelia cessant:
quem sibi Fama legit, mox gravis urguet Amor.
carior haec vita est? stridens volat ecce sagitta,
nec pudor aut pietas proderit ulla tibi.

stulte, fugam temptas? frustra est: indignius urit
    quos videt invitos colla dedisse iugo.
sed nec Fama sinit quod passa est volnus inultum:
    quos fovet almus Amor, vexat iniqua viros,
persequitur terretque minis voltuque severo,
    ac facit infames quos colit ille lares.
haec etiam me fata manent: iam, diva, propinquas
    scrutarisque ignes insidiosa meos.
at vetus haec lex est: taceo venerorque potentes:
    discordant reges, plector Achivus ego.

XVII.

ALEXIS ET DORA.

Heu celerat precibus iam non revocabilis ullis
    spumea longinquum per freta navis iter,
quaque secat tenuem sinuato limite sulcum,
    delphines, praedae dedita turba, natant.
cuncta Thetin spondent placidam: dat vela secundis
    flatibus et deses navita transtra premit.
prona ratis pronique animi super aequora tendunt;
    acclinis malo respicit unus humum:
respicit, et patriae portus montesque recedunt;
    cum terra fugiunt gaudia cuncta virum.
'et tibi iam navem Nereus abscondit, Alexin
    a sponsum properans quae tibi, Dora, rapit.
et tua me quaerunt nequiquam lumina: solus
    maeret iners, quamvis pectore vivat, amor.

felices horae, quae te dederunt mihi: frigent
prae vobis quotquot dant mihi fata dies.
o mihi cur tantam, cum iam discedere vellem,
laetitiam sero Parca maligna dedit?
frustra, Phoebe, tuo conlustras aethera sole:
sollicitos istud non iuvat, alme, iubar.
in me ipsum redeo, subeunt et tempora menti,
quis illam vidi terque quaterque die.
o stupidum, niteat cui talis gratia frustra
nec tantum moveat plumbea corda decus.
parce, miser, probris: sic saepe aenigma poeta
ambiguum finxit proposuitque viris:
insidiis gaudent doctis et imagine blanda,
sed vox, arcani ianua, tecta latet.
quae simul inventa est, omni micat ore voluptas
et lepido cedit ruga severa ioco.
o mihi cur sero densis obducta tenebris,
cur aperis sero lumina caeca, Venus?
stabat enim pridem ventos mansura secundos
navicula, et tandem provocat aura rates.
spes hominum vanas. o somnia vana iuventae,
quo fugitis? felix, cui tamen hora manet.
ac manet hora mihi. teneo te, Dora, beatus,
te teneo, tecum Spes manet ipsa mihi.
saepe ad templa deum prodibas tersa decensque,
nec deerat genetrix relligiosa comes.
saepe alacris Romam venalia poma ferebas,
saepe premebat aquae fictilis urna comas.
spectanti cervix et eburnea colla nitebant
grataque membrorum forma modusque mihi.

saepe hydriam metui, caderet ne forte meanti,
at retinebat onus fascia picta suum.
sed veneres, o Dora, tuas spectare solebam,
ut lunam aut tueor sidera fixa polo,
longinquo taciturna polo, nec saevus habendi
nascitur in placido corde tuentis amor.
sic tempus periit. quamquam vicina patebant
limina, non tacta est ianua vestra mihi.
nunc mare nos dirimit. mentiris caerula caeli:
namque Erebi tuus est iste, Thoosa, color.
iam fervebat opus nautis. ad tecta parentum
advolat et tardum suscitat ore puer:
"panditur et tumidis inflatur carbasus austris"
dicit "iamque tenax ancora linquit humum.
ergo age, iam propera." tum nato fausta precatus
supremum dixit vel pater ipse vale;
sarcinulas mater promit modo cauta paratas,
felicem socii moxque redire iubent.
ergo abeo tandem modico cum fasce tuosque
praeteriens hortos te prope conspicio.
conspicio et miror. rides et dicis "Alexi,
te strepitu tanto nautica turba vocat?
ad varias venies oras mercesque peregre
quaeres, matronis gaudia divitibus:
at mihi tu (pendam pretium) mercare catellam,
in collo festa quae mihi luce micet."
constiteram: pondus veluti mercator et artem
percontor prudens quodque placeret opus.
tu modicum statuis pretium: tum colla monili
vel Polyniceo commoda contueor.

inpatiens me turba vocat: tu dicis amice:
"accipe ab arboribus dulcia poma meis.
en pingues ficus Medorumque aurea mala:
non mare, non tellus has parit omnis opes."
multa putans intro: fructus mihi sedula carpis:
distendunt vestem poma rotunda tuam.
orabam "satis est." aliis praestantia semper
tacta cadunt digitis arbore poma tuis.
pergula nos recipit: calathus stat fructibus aptus,
et pandit teneras myrtus opaca comas.
nec mora: Pomonae prudenter munera ponis:
aurea Medorum pondere mala gravi,
molliculasque super ficus, ne mole premantur;
tum myrti ramis dona venusta tegis.
quid facerem? attonitus stabam. vix tollimus ambo
lumina. quid? lacrimis lumina maesta madent?
pectora iuncta tremunt: cervicem bracchia tangunt
marmoream: collis oscula mille fero.
inprimis his umeris faciem manibusque ligatis
felici nectis mollia vincla viro.
cogit Amor mentes invicta compede vinctas,
atque ter ex pura Iuppiter arce tonat.
stillant ex oculis lacrimae coeuntque tepentes,
haurit et exsultans turbida corda dolor.
nauticus ingeminat clamor: mihi membra fatiscunt:
"non mihi te" clamo "Dora, iugavit amor?"
"tempus in omne" refers. et leni flamine caeli
tacta velut tepido lumina rore carent.
iam propius clamant socii puerumque remittunt:
ut stetit, ut mirans tradita poma tulit.

utque manus iterum pressantem exegit. ut ipse
discessi titubans deficiente gradu.
sic etiam socii tractabant comiter aegrum:
iamque procul terram nubila condiderant.
‘‘tempus in omne’’ refert animus, flammaeque Tonantis
promissum firmant et Iove nata Venus.
namque aderat Cytherea patri ternaeque sorores
adstiterant: superis foedera iuncta placent.
ergo curre, ratis, velis ventisque secundis;
spumosum properans divide, prora, salum,
perfer et in portus, mox ut mihi pignus amoris
egregium aurificis conficiatur opus,
utque catella tibi sit inextricabile vinclum,
colla novem cingat, Dora, voluminibus.
praeterea mundumque tibi gemmasque parabo:
armilla angusto conliget orbe manum;
chrysolithus certet prasio viridisque smaragdus
sardonychi: lapides lamina consociet,
consociet pulchra specie variaque superbos:
vix tamen haec forma digna, puella, tua.
te bacas spectans memini: placet anulus, illum
in digito tereti conspicioque manum.
mercabor vendamque. tibi pulcherrima praedae
pars cedet. quidquid fert ratis, omne tuumst.
nec gemmas solum aut lapides conquiret Alexis:
nupta puella quibus gaudet, abunde feret.
lanea purpureis limbis velamina, lectum
ut sternas, qui nos molliter excipiat;
linteaque et pannos, ut cauta mihique tibique
vestem et nescio cui praeter utrumque pares. —

falle animum, Spes alma, meum. restinguite, divi,
quae mihi pertemptant pectora firma faces.
sed, di, maesta etiam mihi reddite gaudia mentis,
cum cruciant curae frigora sollicitum.
nam Furiae tristes latrans et ianitor Orci
Cerberus ipse minus conscia corda quatit,
quam pavor exsanguis dubium, procul usque puellam
qui monstrat. quid? adhuc porta reclusa patet?
advenit en alius. illi quoque poma leguntur?
hunc etiam dulci mala sapore iuvant?
hunc quoque sub myrtum ducis? pia numina, solem
condite, praeteriti nec meminisse queam.
est etiam haec mulier: quae cum cito se dedit uni,
mox etiam alterius combibit aure preces.
Iuppiter, haec tantum mihi ne periuria ride,
sed tua funde manu fulmina. — parce, precor.
huc atras inmitte tuas, metuende, procellas,
hanc tua percutiant fulmina dira ratem.
sparge trabes undis; sint merces praeda protervis
fluctibus et corpus piscibus esca meum.'
sed satis est, Musae. non enarrabitis umquam,
pectora quam turbet saeva beetque Venus.
volnera caeca deae nec vos sanare valetis,
at requiem solae vos datis, Aonides.

XVIII.

ΣΤΕΦΑΝΗΠΛΟΚΟΣ.*)

Glycera.

Funde age purpureos ad nostra sedilia flores.
ut vario ridens turba colore nitet.

Agathon.

Ut pugnantia Amor iungit primordia rerum,
tu flores: iunctis vita decusque redit.

Glycera.

Tange rosam scite: lateat nunc abdita qualo;
tempora deinde palam cinget, amice, tibi.

Agathon.

Atque ego ut ignotae grates tibi dicere cogar:
munera muneribus namque referre vetas.

---

*) Plin. N. h. 35, 11, 40, 125: (Pausias pictor Sicyonius) '*amavit in iuventa Glyceram municipem suam, inventricem coronarum, certandoque imitatione eius ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam. postremo pinxit ipsam sedentem cum corona, quae e nobilissimis eius tabula adpellata est Stephaneplocos, ab aliis Stephanopolis, quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. huius tabulae exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit Dionysiis Athenis*'. 21, 2, 3, 4: '*postea variari coeptum* (in coronis) *mixtura versicolori florum, quae in vicem odores coloresque accenderet, Sicyone ex ingenio Pausiae pictoris atque Glycerae coronariae, dilectae admodum illi, cum opera eius pictura imitaretur et illa provocans variaret esseique certamen artis ac naturae, quales etiam nunc exstant artificis illius tabellae, atque in primis adpellata Stephaneplocos, qua pinxit ipsam. idque factum est post Olympiadem centesimam*'. — Goethius, ut decebat, pictorem commutavit in poetam; quo facto etiam nomen poetae substituere satius visum est eius qui fabulam Ἄνθος composuit.

Glycera.

Porrige iam violas, sacram mihi porrige myrtum,
tardior ut niteat consociata citae.

Agathon.

Hic sine me florum prope te considere in orbe,
in gremio ut ponam munera verna tuo.

Glycera.

Ante opus est philyra: quo foedere iuncta renident
quae fuerant spatiis turba dirempta loci.

Agathon.

Quid prius insolitus mirer? florumne nitorem?
an teretes digitos? artis an ingenium?

Glycera.

Est opus et foliis, tenuent quae lumina florum,
pulchrius ut placida vita quiete viret.

Agathon.

Fasciculum hunc nimio componis acumine: certe
est cui plus aliis ille placere velit.

Glycera.

Fasciculos necto centum centumque coronas:
optimus at semper, quem tibi laeta fero.

Agathon.

O ter felicem, queat haec qui pingere serta
quaeque his in regnis imperat una deam.

Glycera.

Forsan erit modice felix etiam ille putandus,
cui praesens offert oscula diva deo.

Agathon.

Altera iunge, precor. namque haec procul invidus aër
abstulit et ventis diripienda dedit.

Glycera.

Ut mihi ver flores, ego comiter oscula amico
iunctaque nunc illis haec tibi serta fero.

Agathon.

O si Pausiacam Phoebus mihi traderet artem:
haec mea quam cuperet pingere serta manus.

Glycera.

Bella quidem certe. pulcherrima munera veris
quam lepidum ducunt ordine nexa chorum.

Agathon.

Noscere temptarem penitus miracula florum
naturae et lusus arte referre mea.

Glycera.

Vespere tum rediens nitidam viridemque coronam
mansurumque meum laeta tuerer opus.

Agathon.

O miserum. hanc speciem semper retinere volentem
deficit ingenium deficiuntque manus.

Glycera.

Quid quereris stomachans alienaeque invidus artis?
utere qua polles arte poeta tua.

Agathon.

Quis valeat vivos verbis aequare colores?
quis valeat veneres dicere voce tuas?

Glycera.

Nec pictor teneros ignes tibi pingat amoris,
quo te complector, dum mihi vita manet.

Agathon.

Nec vates sancti tibi gaudia dicat amoris,
quo mihi tu mentem, blanda puella, tenes.

Glycera.

Multum utrique valent: sed mutam labra loquellam
argutosque oculos edocet unus Amor.

Agathon.

At tu pictoris socias artemque poetae:
nam tibi sunt flores verba colorque simul.

Glycera.

Instabilem nectit sterilemque puella coronam:
nam breve, cum venit vespera, marcet opus.

Agathon.

Nec superum rata dona manent: sed gratia caeli
saepe novata viris et cumulata redit.

Glycera.

Defuerunt umquam tibi serta decusve coronae,
nos postquam prima conciliavit Amor?

Agathon.

Servat adhuc paries, servat quae prima beato
circuiens epulas tu mihi serta dabas.

Glycera.

Vina coronanti mihi flos inlabitur: at tu
'fersne venenatas, scita puella, rosas?'

Agathon.

Tu contra 'aetherii conduntur flore liquores:
una tamen didicit quaerere nectar apis'.

Glycera.

Et petulans Calais 'fucine arcana rosarum
et dulces latebras hic speculantur?' ait.

Agathon.

Avertis voltum fugere et meditaris: at iste
decutit, a, flores atque canistra tibi.

Glycera.

At magna tu voce 'sine hinc exire puellam:
non simili illa tui convenit ingenio.'

Agathon.

Ille tamen lento retinet tua bracchia risu,
vestis et ex umeris dilaniata cadit.

Glycera.

Tu bacchans ira calicem iacularis in illum,
percussumque sonat turpiter aere caput.

Agathon.

Quis vinum et rabiem superet? tua colla videbam
in pugnae strepitu virgineumque latus.

Glycera.

Quantus erat clamor. rubicundo mixta cruore
per malas illi Lesbia vina fluunt.

Agathon.

Te solam intueor: genibus subnixa sedebas
usque tegens nudum veste pudica femur.

Glycera.

Iam patinae lancesque volant: ego maesta timebam,
ne tibi quassarent aera vibrata caput.

Agathon.

Te solam intueor, flores sparsasque coronas
sub sellis laeva dum calathosque legis.

Glycera.

Tu citus adproperas, mihi ne casusve noceret
turbatasve epulas increpitaret erus.

Agathon.

Constiteram avertens raptis tibi tela tapetis,
Cantaber ut rabidum veste rubente bovem.

Glycera.

Conciliant pacem dominus sociique. supremum
respicio, furtim digrediorque domo.

Agathon.

Sol meus occiderat. frustra conclave domumque
perscrutor, frustra compita, fana, forum.

Glycera.

Nempe pudor tenuit. totam dilecta per urbem
ante, viris posthac fabula quanta fui.

Agathon.

Non deerant flores, non serta brevesve coronae:
tu misero deeras luxque salusque mihi.

Glycera.

Maesta domi lateo: marcent myrtique rosaeque,
et folia ad terram pulverulenta cadunt.

Agathon.

In plateis iuvenes 'ut floribus annus abundat.
at quae scit flores nectere sola, latet.'

Glycera.

Plurima nexa domi consumpsit serta senectus,
nexa tibi; pendent ecce propinqua foco.

Agathon.

Et mihi sic marcent tua munera prima: sed usque
servantur pugnae fixa tropaea domi.

Glycera.

Vespere dein tueor lugens lacrimansque vieta,
dum moritur certus sole cadente color.

Agathon.

Ast ego circuiens vicos tua tecta requiro:
nemo istam iuvenis norat in urbe domum.

Glycera.

Nullus adhuc parvos adiit, mihi crede, penates:
commodius magna pauper in urbe latet.

Agathon.

Solem circuiens obtestor cuncta videntem
'quem quaero monstra, Cynthie dive, larem'.

Glycera.

Surdus erat Phoebus: sed tandem audivit Egestas
expulit et miseram paupere dura casa.

Agathon.

Verum haec sola deum te quaerere iussit amicum?
non ambos etiam mutuus urit Amor?

Glycera.

Pleno iam strepitante foro te contueor, te —

Agathon.

Nec retinet nostros turba molesta pedes.

Glycera.

Perque homines urguemus iter. coniungimur, ac te —

Agathon.

Te teneo, vacuus totus et orbis erat.

Glycera.

Orbis et omne forum. homines arbusta putabam

Agathon.

Et fontis strepitum murmura rauca fori.

Glycera.

Nempe vel in turba soli sunt semper amantes,
at solis semper tertius alter adest.

Agathon.

Divus Amor castis redimitus tempora myrtis.
sed iam quod superest excute frondis humi.

Glycera.

Excutio et flores. tua si mihi bracchia pandis,
Phoebus ab Oceano pulchrior usque redit.

XVIIII.

EXSULIS REDITUS.

Solus eram, Libyae spectabam solus arenas;
ardebat rabido sideris igne polus:
nudatis umeris Atlas inmania terga
pandit et exustum tollit ad astra caput.
non virides recreant umbrae; non porrigit auram
per gelidam densas quercus opaca comas;
non cadit a clivis numeroso murmure lympha
aut vitreas niveo vertice volvit aquas;
non relevant acrem puteis armenta calorem,
obsita nec foliis hospita tecta patent:
voce carens latitat raris sub sentibus ales,
errantesque volant per loca nuda grues.
sed non tam laticum penuria dira premebat
mentem, quam leti mutus ubique rigor.
nam neque fervorem minuunt Hyperionis Horae
nec ducunt varium per loca vasta chorum,
sed quia perpetuis accenditur ignibus aër,
pulverulenta suo terra nitore caret.
vidi etiam obsessas glaciali frigore terras
mobilibusque horrens montibus usque fretum,
torpor ubi condit niveo sub tegmine vitam
regnat et obducto ferreus ore sopor.
non ibi fervescens tellurem amplectitur aether,
coniugis ut rigidae corpora Pygmalion,
non solis radiis torpentia membra resolvit
aut udo gremium rore vel imbre rigat;

non umquam genetrix laetis ibi gaudet alumnis,
sed vidua effeto corpore maesta iacet,
aeternumque silens fontes occludit amoris
et vitam similem pallida mortis agit.
sed forsan posthac alio sub sole calescet
invisum leti deicietque iugum,
et iam vere novo genitalia semina condens
fecundo gignet germina mille solo,
turpibus ac boreae perruptis libera vinclis
vel Baccho vites grata feretque rosas.
ast ego nunc Rhenum repeto patriamque beatam,
ut levis Hercyniae mulceat aura sinum,
utque animum placent quercus tiliaeque susurri,
quae puerum ramis saepe tulere suis,
et virides herbae, testes documentaque vitae
aeternae, reduci mi quoque corda novent.
consenui pridem. septem infecere triones
atque ardens Libyes abstulit aura comas:
tu tamen usque, velut seniorem Aurora maritum,
constanti natos, mater, amore foves.
o felix tellus, ubi clivis vinea frondet,
autumno dulci poma sapore cadunt,
fluminibus montes tinguuntur sole rubentes
silvaque muscosum cingit amoena caput;
utque umeros proavi lasciva caterva nepotes
adscendunt arces et iuga lata casae;
ex silvis liquidas procedit cervus ad auras,
aëriumque Iovis pervolat ales iter.
verum ubi fonticulus pomaria pascit et hortos,
per vallem pandit viculus ecce domos:

cuncta silent: lymphae strepitus vix aëra rumpit,
a clivo plaustri vix rota vincta crepat.
obtunsae tantum falces incude novandae
quaque regit tauros vox sonat agricolae,
et posito puero lenes in gramine matris,
te quibus invitat, somne benigne, modi.
dein propius stagnis, ubi putrida porta sub ulmi
fronde latet salices et prope tecta virent,
illic excipiunt aedes hortique tenebrae,
rexit ubi puerum strenua cura patris,
atque ego ceu volucris scandebam tegmina fagi
stratave humi somno segnia membra dabam.
o patriae tellus, semper mihi fida fuisti,
et profugum recipis nunc quoque fida sinu.
nunc quoque mala mihi crescunt, umbratque fenestram
iam varians uvas vitis ut ante meam,
ac dulces cerasos video sub fronde rubentes
rursus, et ipsa manus tendit amica pirus.
ex horto vocat in silvas tacitosque recessus
semita, vel rivi murmura nota sequor,
te monstrante vias, patrii sol aureus orbis,
cuius ut ante bibunt lumina laeta iubar,
cuius ovans aestu corpus cum mente calescit,
temporis ut temnant tempora cana fugam.
o cuius radii somnum pepulere iuventae
et placido fundunt gaudia blanda seni,
sol patriae, profugus redeo, sapientior atque
laetior, in patriis iam moriturus agris.

LIBER TERTIUS.

SERIES PRIMA.

I.
LECTOR ACCEPTISSIMUS.

Quem legere haec cupiam? nugis qui totus in istis
nec me nec curans seve aliumve legat.

II.
MUSAE VERNANTES.

Vix solis radii candent aquilone fugato,
vix hederae verno palmite saxa virent;
vix vitem viduae coniungit vinitor ulmo
flamen et adspirant lene Maronis agri,
cum peregrinantem Musae solantur amicum
conloquioque brevi carminibusque iuvant.

III.
POENA NON NIMIA.

Fert placide stratum Venetus super aequora lembus
per portum properans innumerasque rates.
res varias variis ibi conspicis usibus aptas,
argento coemi quidquid in orbe potest.

dum cito pervehimur, subito mihi tempora laurus
percutit. 'a' clamo 'volnera caeca paras,
praemia cui debes, Daphne?' sed leniter illa
'culpa levis vatum: sic tua poena. vale.'

IIII.

PLUVIA POETAE FAUTRIX.

Iuppiter o Pluvius: hac gratus numen adoro
luce tuum: tua dat munera terna manus:
dat potum Venetis; viridem dat veris honorem
arvis; dat chartae carmina parva meae.

V.

NE PLUVIAM IN CHARTAS.

Merge, pater, pluviis Venetorum et moenia et arva,
dulce mihi sitiens mittat ut hortus olus.
versibus his modo parce, pater: decet esse meracos.
austeros nimium qui putat, addat aquam.

VI.

FORTUNAE FILIUS.

Saepe, dei, vatum vos declarastis amicos:
pauca precor: larga vos date pauca manu.
sit mihi lar nitidus, modici sit copia victus
nectaris et cuius nos quoque mella iuvant;
quae deceant vestes et amici dulce loquentes,
et bene quae fallat noctis amica moras.

haec mihi contingant primum, precor. addite deinde
artes atque hominum percipere historias,
et veterum linguas et quae cecinere recentes
Musarum et tenues rite tenere modos,
et magnis placuisse viris auramque popelli,
quaeque iuvant animos commoda cuncta date.
sit satis: ex omni fecistis parte beatum:
quae precor, haec dudum gratia vestra dedit.

VII.

BENE EST.

'Heus, quid agis?' — quid agam? cornicis si quater annos,
fata, datis, cunctos huic date consimiles.

VIII.

NIHIL MORE SOLITO.

Di, bene fecistis: facilis namque optima quaeque
Parca dedit, solito sed nihil illa modo.

VIIII.

EPIGRAMMATA.

Hauritis nimium de faece, epigrammata. — 'quidni?
nos titulos vini, dolia mundus habet.'

X.

EPIGRAMMATA.

'Numne boni quid habent epigrammata?' — videris ipse:
carmina quis dicat quid male salsa velint?

XI.

LIBRI POPULARES.

Invidiae quanto propior liber atque maligno
livori, tanto planior ecce tibist.

XII.

SPECIES INTERDUM DECIPIT.

Lascivus multis videor. vos, numina, nostis,
nec vos sola, meam cum pietate fidem.

XIII.

COETUS HONESTI.

'Non ullus peregre patuit tibi coetus honestus?
haec tua nam faecem pagina plebis habet.' —
Iuppiter o novi coetus quos dicis honestos:
de quibus haud possis fingere versiculum.

XIIII.

FATA LIBELLI.

Cum puerum praeceps ad amicam semita ducit,
hic lepide fallat taedia longa liber.
cumque virum inpatiens exspectat sola puella,
hunc legat: at sponsus cum venit, abiciat.

SERIES ALTERA.

XV.

PANEM ET CIRCENSES.

'Quid fremit et trepidat populus?' victumque requirunt
et prolem generi, mox alimenta satae.
hoc, peregrine, notes hominumque exempla sequaris:
quidquid agunt, id agunt praetereaque nihil.

XVI.

ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ.

En quatiunt Galli crepitantia cymbala: nempe,
volgus ut usque loquax otia vana trahat.
quid temnis Gallos? cognorunt tendere id unum
volgus, ut usque loquax otia vana trahat.

XVII.

FACILIS MEDICINA.

Cur, quaeso, huc properant homines? en pondera promunt,
porrigit hic nummos, accipit empta manu.
'vendunt elleborum.' sese cognoscere quanti est:
quo medicum, cui tam sit fuga tuta mali?

XVIII.

IN AREA S. MARCI.

O felix, haec cui graditur sociata puella.
o felix, regum temne superbus opes.
'miraris stolide quae nescis. quam cupis, iste,
si posset, gratis traderet ipse tibi.'

XVIIII.

FLORES ET FRUCTUS.

Poma quot exspectas de floribus hisce? — 'ducenta:
viginti florum milia namque puto:
et de centenis unum sperare licebit.' —
si de millenis singula habebis, ama.

XX.

OPTIMA MAGISTRA.

Cui sit credendum, dubitatis? credite vitae:
nam melius libris rhetoribusque docet.

XXI.

ADVERSARII CONTEMNENDI.

'Quae perdent artes avium genus,' inquit acerbe
vinitor 'erucas, heu tineasque malas,
crabrones talpasque nocentem et dente cerasten?'
cuncta sine: inter se (non mora) perdiderint.

XXII.

POLYHISTOR.

Circum arbusta volat trepidis passerculus alis
et temptat morsu semina, poma, nuces,
exiguoque putat mundi mysteria rostro
consilia et magni se penetrare dei.

XXIII.

NOSTRA VITIA AMAMUS.

Quis fovet ut proprios alienos pectore natos?
at vitia ut natos tu tua caecus amas.

XXIIII.

VIRIBUS CONIUNCTIS.

Si laticum venae sociato fonte coirent,
ex tenui fieret regius amnis aqua:
nunc quoniam solae diviso limite currunt,
cunctarum vires sol et arena vorat.

XXV.

PROPERANTEM SEQUERE.

Hunc comitem cupio, pariter qui vadere tendat:
si nimium cessat, pergere solus amo.

XXVI.

RECTA VIA OPTIMA.

Qui cursum tenet usque suum rectosque meatus,
hic terram magnas et peragrabit aquas.
at qui circuiens longis ambagibus errat,
vix patriae noscet proxima rura suae.

XXVII.

LABORIS HONOS.

Floreat ut mundus, manibusque animoque labora,
sive tibi ingenium est sive colendus ager.

XXVIII.

PRO SUIS QUISQUE VIRIBUS.

Unum opus inpositum est cunctis: pro parte virili
fac toleres, multis et relevabis onus.

XXVIIII.

IN HOMINE LIBERTAS.

Unda maris rabie ventorum invita movetur:
at turbas animi vir superare potest.

XXX.
VER VITAE.

Sunt similes vernis caelo radiante diebus
prima iuventa, levis crapula, dulcis amor.
aufugiuntque brevi. tu vanas mitte querellas
et prudens celeri gaudia carpe manu.

XXXI.
ΟΙΗ ΠΕΡ ΦΥΛΛΩΝ ΓΕΝΕΗ

Ut folia, innumeros homines natura regignit:
durabit, folium si cadet, arbor humo.

XXXII.
AGRICOLA.

Iam levis et tenuis tegit aurea semina sulcus:
altior ossa brevi condet, amice, tua.
consere laetus humum, victum vitamque ferentem:
nec tepidos umquam Spes fugit alma rogos.

XXXIII.
SOLITUDO.

Quae lucos colitis iucundae saxaque Nymphae,
praebetis faciles quod sibi quisque cupit.
cognitio dubiae, tristi solacia menti,
his veniet puero grata puella locis.
nam dederunt vobis, nobis quod fata negarunt,
praesidium miseris esse bonisque decus.

XXXIIII.

HORTI DIVITUM.

Felices deserta brevi mutantur in hortos:
vix sata iam Florae dona venusta nitent.
terrarum domini, vix rerum auctore minores,
saxa lacusque facit vestra ferasque manus.
at tamen iste aliquid desiderat alter Olympus:
otiaque et sancto gaudia sancta die.

SERIES TERTIA.

XXXV.

AUTUMNUS VERE MELIOR.

Nec suco turgens arbor dulcissima mala,
nec mites fructus cruda iuventa feret.

XXXVI.

AUTUMNUS VERE VERIOR.

Vere micant soles, fragrat rosa, cantat alauda;
autumnus blandis liberat arva dolis.

XXXVII.

AUTUMNUS VERE PRAECLARIOR.

Autumnus nemori frondes decussit, at aether
per ramos monstrat caerula templa dei.

XXXVIII.

FLORES ET FRUCTUS.

Arescunt florum varii sine fruge colores,
horrea sed Cereris munera flava tenent.

XXXVIIII.

EX FRUCTIBUS IUDICARIS.

Autumno strepitat boreas per bracchia mali:
frondibus an lateant aurea poma videt.

XXXX.

FRUCTIBUS AUTUMNUS GAUDET.

Gaudeat autumno quae turget fructibus arbor:
nam foliis tantum flamina saeva nocent.

XXXXI.

HIEMEM FUGE.

Iam linquit nidum et meliores quaerit hirundo
terras: sic, mea mens, hasce relinque plagas.

XXXXII.

PATRIAM QUAERE.

Illas quaere plagas, ubi nulla procella minatur,
flos nullus marcet, germina nulla cadunt.

XXXXIII.

VERAM PATRIAM QUAERE.

Illas quaere plagas, disiecta ubi fragmina rerum
corpus in egregium conligit almus amor.

XXXXIIII.

AUTUMNUS ALIQUANDO MELIOR.

Nunc folia autumnus levia et marcentia fundit;
mox mihi divitior turgida poma dabit.

XXXXV.

FRIGUS BRUMALE.

Corpus aquast flumenque solum: fulgente theatrum
sole novum ripas inter utrasque patet.

XXXXVI.

FRIGUS VIVUM.

Decipior somno? rigidum nova copia vitae
mobilibus fluvium spargit imaginibus.

XXXXVII.

CURSUS GLACIALIS.

Mercurio similes candentia marmora sulcant
ferratis pueri calcibus alipedes.

XXXXVIII.

CHAOS COMMOTUM.

Ut properant omnes, quaerunt fugiuntque vicissim;
sed certo cunctos aequor in orbe tenet.

XXXXVIIII.

NEMO EXCLUDITUR.

Permiscent orbes puerique artisque magistri
atque tenens medium plebs mediocris iter.

L.

TIBI FIDE.

Exercent vires, nec laus fremitusve morantem
adiuvat aut volucrem tardat in arte pedem.

LI.

FAVOR INUTILIS.

Qui favet incultae perfectaeque invidet arti,
hoc frustra frendens spectet utramque loco.

LII.

FORTES FORTUNA.

Quid trepidas, tiro, dubium certamen inire?
fide tibi: quondam tu decus artis eris.

LIII.

STULTA FIDUCIA.

Quid? simulas artem, cum nondum incedere possis?
viribus excultis gratia iuncta nitet.

LIIII.

ERRARE HUMANUM EST.

Sors hominum est labi, cadit hic pariterque peritus
ac tiro: gravius semper at ille ruit.

LV.

RIDERE FATUI EST.

Sollers cum cecidit, ridet magis inscia turba,
quae nec stare loco firma nec ire potest.

LVI.

AEQUABILITAS SAPIENTIAE.

Vade viam laetus, dubiis succurre, peritis
gaude: contento pectore carpe diem.

LVII.

TEMPORA MUTANTUR.

Iam ver adproperat: subter labentia rodunt
flumina duratas solis et aestus aquas.

LVIII.

SOLVITUR ACRIS HIEMS.

Labere, crusta, vadis: mox si non crusta superba,
at gutta in magnum veneris Oceanum.

LVIIII.

ΠΑΝΤΑ ΡΕΙ.

Hoc genus exstinctum est: coetus abiere priores.
piscator liquidas nautaque verrit aquas.

SERIES QUARTA.

LX.

AMOR INVIDUS.

Dulce quidem vernis vestigia ponere in herbis
molliculaeque manu tangere vellus ovis;
dulce videre novo florentes germine ramos
et tenui teneram delegere ungue rosam.
dulcius est blanda decorare Amaryllida myrto;
sed negat haec, superi, gaudia saevus Amor.

LXI.

AMOR INCERTUS.

Me quoque fovit amor, toto mihi carior orbe.
orbus quid faciam? 'perfer et, orbe, tace.'

LXII.

POST NUBILA PHOEBUS.

Obscurus nebulis maestas cum Delius horas
  mittit, quam taciti triste meamus iter.
cum rigat imber agros, recreant agrestia fessum
  hospitia. ut placidus nocte nigrante sopor.
at tandem lux alma redit. sic nubila, Daphne,
  clarior ut niteas, tu quoque fronte fuga.

LXIII.

AMORIS VIGILIAE.

Nequiquam mihi, Somne, sopora papavera quassas:
  lumina, pervigilo, dum mea claudat Amor.

LXIIII.

ADVERSARIAE AMORIS.

Visne voluptatem puram cognoscere amoris?
  sit levitas animo cum gravitate procul.
illa fugare parat volucrique haec vincla minatur:
  abnuit et lentus ridet utramque deus.

LXV.

AMOR SINE FIDE.

Ut stimulos succendit Amor. miserere, Neaera:
  lenimen flammis adde, proterva, fidem.

LXVI.

AMOR MORTUUS.

Occidit almus Amor: miserae lugete puellae.
occidit: at, miserae, saepe resurgit Amor.

LXVII.

AMOR INRISOR.

Vix hominum quisquam melius me novit Amorem.
in tenebris praefert strenuus ille facem.
sed mox per salebras ducit perque invia: lucem
poscimus: exstincta proditor ille fugit

LXVIII.

INCONSTANTIS CONSTANTIA.

O lepidum ludum. digitos fugit inpiger orbis,
sed filo remeat mox revocante viam.
sic meus ad pulchras animus volat usque puellas,
at victus prudens mox ratione redit.

LXVIIII.

AMOR VERNANS.

Aetates animus quondam discernere norat:
inpatiens bruma, vere superbus erat.
at nunc nec boream nec solem sentit: amantem
vere vel aeterno mollior aura fovet.

LXX.

FACILIS EXCUSATIO.

Accusas dominam, quod non contenta sit uno?
desine: constantem quaerit ubique virum.

LXXI.

SOL ET DAPHNE.

Per matutinas clivum superare tenebras,
vertice de summo cernere Luciferum,
tum solis primum iubar exspectare corusci,
haec fuerunt puero gaudia summa mihi.
nunc pro Lucifero fulgent mihi lumina Daphnes,
semper et invito Cynthius exoritur.

LXXII.

MARE IGNEUM.

Fallor an ipsa Thetis late velut igne coruscat,
flammea nocturnam pulsat et unda ratem?
quid mirum? Venus est umentis filia ponti,
et tamen hac oritur fervidus ignis Amor.

LXXIII.

PROCELLAE AMORIS.

'Navigat (o quid agam?) conscendit Lydia puppim.
Aeole, ventorum flamina taetra tene.'
stulte, procellarum metuis pontique furorem?
aura tibi aligeri sola timenda dei.

LXXIIII.

MIDAS ET POETA.

Sors tua dura, Mida. gravibus mutata metallis
esuriens, tellus quae tulit alma, tenes.
mi leviora dei dederunt melioraque: quidquid
contrecto digitis, in leve carmen abit.
non pugno, Musae. modo ne mihi vana puellae,
pectore quam foveo, fabula fiat amor.

LXXV.

AMOR TENAX.

Cura ratem tecum conscendit equumque frementem:
sed magis usque tenax te comitatur Amor.

LXXVI.

CURAE DULCES.

Cedite iam, curae. sed numquam cura, priusquam
vita fugit, miseros linquit acerba viros.
iam, si fata iubent, curas revocemus amoris,
ut reliquas pellant hoc crucientque iecur.

LXXVII.

C I R C E.

Perseis Circe magica quemcumque virorum
contigerat virga, belua factus erat.
quanto tu melius. quocumque, puella, tueris,
mox hominem, inmanis qui fuit ante, facis.

LXXVIII.

EX NOCTE PHOEBUS.

Vernus ut aëria Titan ex nube renidet,
sic tua nigranti lumina cincta coma.

LXXVIIII.

ΑΝΑΜΝΗΣΙΣ.

Ut primum vidi tua lumina, cognita menti
lux subiit, melior quam, puto, mundus habet

LXXX.

EX SOLE PLUVIA.

Ceu trahit aequoreas ad caelum Delius undas,
ut riget arentes imber amicus agros,
sic tu sollicitum et solantem volnera rorem
elicis ex oculis, cara puella, meis.

LXXXI.

LUSCINIA.

Certe te, Philomela, deus nutrivit amantum
utque puer telo pabula blanda dedit.
ergo flammigeris fauces perfusa venenis
non minus ipsa deo mollia corda feris.

LXXXII.

Η ΠΙΘΙ Η ΑΠΙΘΙ.

Quem Bacchus iuvat, adproperet, risusque iocique.
tu maneas tecum, censor acerbe, domi.

LXXXIII.

CRAPULA.

Si caput ante epulas semper vinumque doleret,
prudenter prudens ante caveret homo:
nunc quoniam sequitur, non anteit crapula Bacchum,
cur metuens quae sunt cras nocitura bibam?

LXXXIIII.

IOCANDI LIBERTAS.

Compescant vitam leges: sed lusus Amoris
Musarumque leves sunt sine lege ioci.

SERIES QUINTA.

LXXXV.

PRAEMIA VIRTUTIS.

Vita viro fructus cumulat: sed ab arbore raro
ignavo aut tardo turgida mala cadunt.

LXXXVI.

MAGNA INGENIA RARA.

Heroum voltus retine: ceu sidera vastum
per spatium raros spargit in orbe deus.

LXXXVII.

HEROUM EXEMPLA.

Adfligunt animum magnorum exempla virorum:
quis vires illis speret habere pares?
at recreant eadem: quid enim constantia possit
humana et probitas ingeniumque docent.

LXXXVIII.

IN TYRANNUM SCHOLASTICUM.

Quem laudem et mirer? satrapis regumque ministris
qui magis officium iustitiamque colit,
non curat tumidos, veneratur magna, minores
erigit et cunctos qua valet arte iuvat.
at qui virtutes alienas odit, amator
sollicitus laudis gloriolaeque suae,
et gerere ut possit domini peccare vetantis
personam, domini sustinet ipse iugum,
illum ego, quantumvis videatur magnus, ut infra
me positum temno despicioque virum.

LXXXVIIII.

OPTIMUM REMEDIUM.

Si nequeas odisse virum nec linquere possis,
hunc aude toto pectore amare, puer.

LXXXX.

OPES AETERNAE.

Datque adimitque dies: meliorum at prompta voluntas
limpidus aeternae est fons tibi laetitiae.

LXXXXI.

VERA VOLUPTAS.

Magna ipsum peperisse iuvat: sed vera voluptas
haec etiam est alii quae peperere frui.

LXXXXII.

VERA FELICITAS.

Felix, alterius pariter qui laude beatur
gaudiaque alterius sentit ut ipse sua.

LXXXXIII.

PAX AETERNA.

Mox ubi quisque suum norit, sed debita laetus
cuique dabit, Ianum ianua clausa teget.

LXXXXIIII.

BELLUM AETERNUM.

Non contentus eris cupidusque aliena tueris?
materiem bellis heu, miserande, paras.

LXXXXV.

CONTRA FANATICOS.

Nil refert qua quisque bonum rectumque sequatur:
nam quacumque manu gemma reperta nitet.

LXXXXVI.

SAPIENTIA ERRANS.

Per tenebras sapiens ad lucem tendit apricam:
in tenebris stultus qui remanebit erit.

LXXXXVII.

VERITATIS PERSONAM SUSTINE.

Ambiguos contemne dolos hominesque bilingues.
sis verus: partes has bene semper ages.

LXXXXVIII.

QUIS ORBUS IN ORBE?

Ille miser (quid enim?) cui decessere parentes:
orbus non ideo iure vocandus erit.
solus is est orbus, cui nulla est arte subactum
ingenium et sancto pectus amore caret.

LXXXXVIIII.

QUI RUDIS, INUTILIS.

Moenibus aptari, lapis, his quae condimus optas?
arte prius multa tu poliendus eris.

C.

SIMIA ET HOMO.

In speculo faciem mirari simia gaudet:
facta viri monstrant quale sit ingenium.

CI.

SAPIENTIUS OPTA.

Cur inhias cupidus tibi quae fortuna negavit
quasque alii cumulant, stulte, tueris opes?
vel tueare licet: nam si perspexeris, illis
quis careas disces posse carere bonis.

CII.

BENEVOLENTIA AMORIS.

Per noctis tenebras quae caelo stella coruscet
quam maculas mavolt quaerere solis amor.

CIII.

MORTALEM NON DECET IRASCI.

Pectore cum tumet ira tibi, meminisse iuvabit
quam cito solvantur pectora morte virum.

CIIII.

INIMICO CEDE, TIBI RESISTE.

Si cedes hosti, pacem mox offeret hostis:
si tibi non cedes, haud mora, victor eris.

CV.

OFFICII SEVERITAS.

Ingenita est species cuivis, quid debeat esse:
quod donec non est, corda quiete carent.

CVI.

GENUAE.

Aequoreae tremulis ardescunt ignibus undae,
et volat aequali flamine pulsa ratis.
non animus cupit ire comes: nam lumina retro
convertens Alpes conspicioque nives.
Ausonia, o quas condis opes. sed valdius arctus
extorrem et patriae rura beata vocant.

CVII.

HOMINES VERE POPULARES.

Usque homines odi pro libertate furentes:
vincla volunt aliis imperiumque sibi.
frangere vincla paras populi? prodesse memento.
ardua quam sit res? experiare modo.

CVIII.

PRO CIVIBUS LABORA.

Cur ita pugnet apis maiorem pulset et hostem?
non se, sed populum quod moritura iuvat.

CVIIII.

REGES ET POPULARES.

Crede, volunt iustum reges iustumque tribuni.
verum est qui numquam decipiatur homo?
numquam (scimus enim) sapiet sibi mobile volgus:
o si quis sapias omnibus, adpropera.

CX.

FACTIONUM DISCORDIA.

Partibus exortis cives diversa sequuntur:
felices, longo tempore si coeant.

CXI.

FACTIONUM AEQUITAS.

In partes trahit ille suas precibusque minisque.
pro pudor. at nobis scilicet ista licent.

CXII.

VERA LIBERTAS.

Disce aliquid recte, cupidum compesce furorem,
nec, fili, sursum suspice: liber eris.

CXIII.

PLEBIS IMPERIUM.

Tristia Gallorum perpendant fata potentes,
perpendant eadem plebs humilesque magis.
regibus exactis quis plebem a plebe tuetur?
nemo: sed plebes plebe subacta perit.

CXIIII.

VOLGUS VOLT DECIPI.

'Non recte facimus? nec iustumst fallere volgus?
at modo quam sit iners adspice quamque ferox.'
nempe furit quisquis deceptus sentit: eundem
humanum probitas, crede, fidesque facit.

CXV.

ADULATIO PLEBIS.

Non solum Gallus, Germanus et ipse severus
blanditur plebi deliciasque facit.

CXVI.

PLEBS ET POPULUS.

'Plebs, inquis? plebem quam dicis?' at, o bone, plebem
mox populos vestra vos faceretis ope.

CXVII.

OBRUSSA.

Principis effigies interdum incuditur aeri
aurato: stultos fraus populumque latet.
ingenii specie vesani somnia signant:
aurum, si nescis exigere, esse putes.

CXVIII.

VESANIA GALLICA.

'Vesanos homines' clamant, cum turbida circum
compita Gallorum dicta forumque sonant.
credo: vera canit vesani libera lingua,
cum sapiens pressis faucibus obticuit.

CXVIIII.

RELIGIO.

Relligio quid sit? quo pectora multa ligantur
leniter, ut philyra nexa corona coit.

CXX.

OPTIMA RELIGIO.

Optima relligio quae sit? quae corda bonorum
ima magis penetrans usque magisque ligat.

CXXI.

MYSTERIA APERTA.

'Sciri posse negas, quid sit deus, orbis homove?'
non ego: sed latitant quae didicisse piget.

CXXII.

PIETAS CREDULA.

Vadis iter pia vota ferens ad inane sepulcrum:
quem colis ut sanctum conspiciesne Petrum?
dilapsum est tabo corpus. tu corporis umbram
spectabis, cineres ossaque nuda viri.
Italiae patria profugi sic quaerimus umbram:
relliquiae cinerum quod veneramur erant.

CXXIII.

SURSUM SUSPICE.

Fatorum quotiens terret tibi corda tumultus,
suspice tranquillo sidera fixa polo.

CXXIIII.

SUMMUM IN MINIMO.

Non capiet sancti mysteria mundus amoris,
at pius angusto corde tenebit homo.

CXXV.

IN MELLE VENENUM.

Mella latent nitidis in floribus atque venena:
sic quidquid genitum est, semina mortis habet.

CXXVI.

LUX IN TENEBRIS.

Obscurum graditur callem formica, sed usque,
non secus ac caeli sidera, novit iter.

CXXVII.

FLORES DEI TESTES.

Et florum calyces caeli secreta recludunt:
in fragili ut niteat pulvere divus amor.

CXXVIII.

S. PETRUS IUVAVIENSIS.

Piscator iuvenis fuerat pauperculus: at nunc
commodius senior iam sibi quaerit opus.
'quod?' factus caupo est. quid mirum? perfidus olim
qui fuit, en iterum prodidit ille deum.

CXXVIIII.

ΠΑΛΙΝΩΙΔΙΑ.

Sancta colit sanctum Petrum Iuvavia: Petrus
illic et templo gaudet et hospitio.
ianitor hic caeli bene creditur esse: beatos
iam vivos faciunt vendita vina Petro.

SERIES SEXTA.

CXXX.

MUSARUM GRATIA.

Ut properum properans ulna lasciva puella
stringit et oblitas suscitat ante faces,
parva viatori faciles date carmina Musae:
nec posthac gravius defugietis opus.

CXXXI.

CRITICI ΜΕΙΑΓΩΓΟΙ.

Ornatura comas sequitur vaga mane fluenta
Urania: inmotam strenua quaerit aquam.
sed strepit et trepidat rivus simulacra venusta
verticibus turbans: amovet ira deam.
inludens rivus: 'tua te spectare recusas
quae monstro vitrea corpora verus aqua.'
constitit illa procul placidi prope flumina fontis
ambrosiis aptans florida serta comis.

CXXXII.

MUSARUM OFFICIUM.

Igne Prometheo tenebras dispelle, Camena,
at Paphia torque corda beaque face.

CXXXIII.
MUSARUM HORTI.

Ecce cadunt flores, ut fructus mitiget annus:
cum fructu flores tu mihi, Musa, dabis.

CXXXIIII.
POETA ET REGES.

Rex est, sed patria pulsus tellure, poeta,
hoc et in orbe suo semper honore caret.
quem cum sceptriferi nolint agnoscere regem,
et regum vates vitet amicitias.

CXXXV.
VATES DEORUM ARCANIS ADMISSUS.

Gratia cum Nymphis, cum fulget ab aethere luna,
clam solet in lucis ducere nuda choros.
haec invisa viris solus videt orgia vates,
solus et exaudit carmina sacra deum.
quidquid habet caelum pulchri, quodcumque venustum
terra tulit, somno tum videt invigilans.
cuncta refert Musae, metuentem et laedere divos
sancta verecunde dicere Musa docet.

CXXXVI.
MERCURIUS ET PHOEBUS.

Dexter Atlantiades olim Phoebusque severus
certabant: pretium poscit uterque sibi.
Mercurius citharam, citharam deposcit Apollo;
spes frustra ambobus pectora vana movet

nam celeri dirimens Mavors conamine litem
barbarus auratam discutit ense lyram.
ingentem effundit risum Cyllenius: acri
Musis et Phoebo corda dolore tremunt.

CXXXVII.

SIREN GERMANICA.

Nota tibi Siren? crines religata decoros
ore nitet placido filia Melpomenes.
cruribus at volucris, pelex saevissima, nautis
subdola mellita carmina voce canit.
iam soror huic una est: cui voltu graeca venustas
emicat, at velat mollia membra pudor.
haec quoque pulchra vagis fundit Germana Camena
carmina multa viris attonitosque tenet.

CXXXVIII.

INTERPRETATIONES ARCHAEOLOGICAE.

Explicat hic docte statuas et marmora prisca.
da vinum: adfundet qui volet ipse nives.

CXXXVIIII.

AMOR CAELESTIS.

Non Amor ille puer, sed vir Psychesque maritus
lascivus divas lustrat Olympiadas.
conspiciensque unam (casto micat ore venustas),
Uranien, flammis uritur ipse suis.
arsit et Uranie (quis enim contendat Amori?)
victor et amplexu mollia membra tenet.

pulchrior hinc alter prognatus patre Cupido est:
matris habet mores ingeniumque patris.
castarum invenies Musarum semper amicum,
cuique vibrat telum, nascitur artis amor.

CXXXX.

BESTIOLAE ARTE FELICES.

Iapetionidae gratum factura Prometheo
nectaris a caelo filia magna Iovis
cum ferret pateram, mortalem ut rore beαret
caelesti gentem mitis et inbueret
artis amore truces: ne Iuppiter invidus ausa
sentiret, celeri poplite carpsit iter;
sed manus ambrosio suco fluitante vacillat,
fusaque tellurem parvola gutta rigat.
mox et apis dulci volitat pellecta liquore
et bombyx avido strenuus ore bibit;
et duplicat properans exilis aranea crura
aetherioque replet turpia membra mero.
o ter felices, generis solacia nostri
optima, divinae principia artis habent.

CXXXXI.

ARS MORTEM ORNAT.

Sarcophagus Graecis vitam spirabat et urnae.
exsultant Satyri, consociantque choros
Thyiades alternantque vices. et rauca sonantem
cum grege capripedum fistula Pana notat.

cymbala dant crepitum; vivunt in marmore signa,
ales et en rostro dulcia poma petit.
non metuunt strepitum neque aves nec fortior illis
qui media in turba spicula tinguit Amor.
pellit in exsilium vigor ipse et copia mortem,
nec sentit rigidum clausa favilla gelu.
sic sero quondam cineres haec charta poetae
signet, quam vitae pinxit imaginibus.

CXXXXII.

LEONES ATTICI VENETIIS.

Graecorum residet par ad navale leonum:
prae quibus ut sordent moenia, templa, lacus.
o si descendat mater Cybeleia caelo:
colla libens dominae subdat uterque iugo.
at nunc usque silent maesti: namque ales ubique
iam Veneta feles regnat in urbe recens.

CXXXXIII.

ANACREONTIS TUMULUS.

'Hic ubi iuncta rosae vitis laurusque virescit,
molle sonat turtur, dulce cicada melos,
quem tegit hic tumulus, superi quem comiter omnes
ornarunt?' tenet hanc Teius, hospes, humum.
ver aestasque illi fuit atque autumnus amicus;
nunc arcet brumae terra benigna gelu.

CXXXXIIII.

MOSES MICH. ANGELI.

Ut movet haec animum divini vatis imago.
temporis exstincti robore forma viget;
mascula caelestis conlustrat spiritus ora,
fulminaque ex oculis non simulata micant.
labra movet, tamquam sacro de monte reversus
clementis referat iussa severa dei;
nervosamque manum caelestis signifer aulae
et custos sacris legibus inposuit.
artis opus vix crediderim: vestigia vivus
et spirans antehac hoc super orbe tulit,
liber et indomitus, terrorque ultorque malorum;
sed vitium omne videns et superare nefas
et culpae totum submersum gurgite mundum
postgenitis poenae nuntius obriguit.

CXXXXV.

AURORA GUIDONIS.

Evolat ad caelum nebulis Aurora fugatis
et flores rosea spargit in arva manu;
eoo croceae sinuantur flamine vestes,
emicat ambrosio laetus ab ore nitor.
sub pedibus terrae tenebris umbraque premuntur,
dormit adhuc tacito vincta sopore Thetis:
sed properans sequitur divae vestigia Phoebus
et placido victor candidus ore venit.

protendens laevam leni regit arte quadrigam
consilio et fortes temperat altus equos.
aetherios praefert puer ales Lucifer ignes,
neve exstinguatur flamine flamma cavet.
ac veluti regem comitum bene fida caterva
stipat et unanimo semper amore colit:
sic nitidae currum cingunt Hyperionis Horae
et iunctae domino pone sequuntur equos.
nuda caput pectusque incedit prima puella;
ad teneros fluitant caerula vela pedes,
ludibrium ventis volitat coma flava protervis,
vernat amor membris et iuvenile decus.
hanc gravius nitens sequitur maturior Aestas,
non minus ipsa decens, sed puto grata minus,
et frugum genetrix tunica velata virenti,
ultima sub nivea frigida Bruma toga.
ast aliae properant currus ad laeva sorores
ternae: nam Phoebum quarta diemque fugit.
prima pruinosa dissolvens somnia dextra
noctis ab amplexu pectora mane vocat,
corporibus praebet vires animisque vigorem,
spemque alit aeternam laetitiamque viris.
altera iam medii curas experta diei
vita quid exspectet novit et officium;
tertia dein Hiemi vestigia proxima ponens
Vespera secura laeta quiete meat.
o fortunatos, quibus illo Cynthius ore
semper et exoritur sic comitata dies:
non illis deerunt nec somnia blanda iuventae
nec senibus fausto parta labore quies.

CXXXXVI.

DAEDALUS ET ICARUS.

Ad caelum volat, at ruptis cadit Icarus alis:
spumeus exemplum lugubre pontus habet.
Daedalus est rerum sapiens ac providus auctor,
qui vires animo laetaque vela dedit.
nitere securus per totum gnaviter orbem,
ad lucem numquam te tua penna feret.

CXXXXVII.

APOLLO VATICANUS.

Ecce deum telo numquam deerrante superbum,
lucisque et citharae letiferumque deum.
ambrosia splendent caelestia membra, triumphi
laetitia effulget clara supercilio.
non frustra saevam valida tenet aegida laeva,
caelicolumque ultrix Poena peregit opus.
ut patulas signat divina superbia nares
et maiestatis conscius ora vigor.
qualem Nympha sibi superum de stirpe maritum
somniet (et speciem deperit ipsa suam),
qualiave adflatus divino numine membra
concipiat moto pectore Pygmalion:
adspice, Latoi modo nati sideris instar
aetherium tali corpus honore nitet.
fabula si vera est rapuisse ex arce deorum
sidereos ignes Iapetioniden:

reddidit is furtum, numerosam hanc marmore formam
omni qui finxit carmine maius opus,
humanis manibus, caelesti mente creatum,
laedere vel turpis quod timet ipse situs:
caesaries siquidem fluitat per lubrica colla
mollis et in saxo spirat ut ante calor.
'diruet hoc nemo signum nisi pulchrior ipso'
fata canunt: pulcher, qui velit, esse queat?

CXXXXVIII.

GLADIATOR.

Saucius ecce iacet media gladiator arena
corporis et dextra vix grave fulcit onus.
fortis et indomitus temnit cum morte dolorem,
labitur at vita deficiente caput.
extremae stillant transfixo pectore guttae,
imbre velut latices exoriente cadunt.
iamque natant oculi, nocte obscuratur arena,
fit clamor: letum lumina victa premit.
audierat magnos victoris praemia plausus,
sed procul his fuerat mens animusque locis:
non turpem curat cladem aut ignobile letum:
incultae subeunt barbara tecta casae,
et prope Danuvium ludens in pulvere proles
atque viro matris non redeunte pavor.
ipse pater Latiae sollemnis victima genti,
victima in aeternum tempus inulta cadit.
tempus in aeternum? Germana exsurge iuventus:
exoriatur ab his ossibus ultor avis.

CXXXXVIIII.

MONUMENTUM CAECILIAE METELLAE.

Quam molem video? vetus inminet ardua turris,
saxea compages, firma, rotunda viae,
quae vires hominum multorum frangat et arma,
dimidia quamvis diruta parte sui.
undique per lapides apiumque hederaeque sequaces,
temporis annosi suavia serta, virent;
per rimas undat laxis inmissus habenis
palmes et effusa volnera fronde tegit.
quid latet hac turri? quos auri condit acervos?
'femina sub saxis his tumulata iacet.'
quae? cuius? quibus aut meritis hoc digna sepulcro?
castane, dum vixit, semper amansque viri?
heroesne tulit gremio regesque superbos?
an natam inlecebris ingenioque parem?
quemque virum, quae fata habuit, quam denique mortem?
dives et eximio semper honore fuit?
nam certe humanae tetigit fastigia sortis,
quae non plebeio more sepulta cubat.
ecce brevis titulus quae possis quaerere narrat:
'Caecilia haec Crassi busta marita tenet.'

CL.

EPILOGUS.

His ego Romulea, caris secretus amicis,
consumpsi nugis laetus in urbe dies.
quidquid vita dabat taciturna mente recondens
spemque fovens hilarem dulcia lucra tuli.

LIBER QUARTUS.

I.

AEGAEON.

Iamne grues ad te remeant? repetuntque patentem
velivolae naves? pacatane lenius undis
flabra tuis spirant? imoque ex gurgite ponti
emersi tepidas ludunt delphines ad auras?
iamne iterum laetos effundit Ionia flores
et vernis pandit variata coloribus arva?
nam cum ver animos reficit mortalibus aegris
spesque novat dulces atque aurea somnia fingit,
tum iuvat, Aegaeon, alacrem tua visere regna.

semper adhuc, rex magne, viges et montibus altis
umbratus recubas; iuvenilibus usque lacertis
terras, o grandaeve, tenes; et pulchra tuarum
natarum, ut semper, lato nitet orbe corona.
saxa micant Cretae; Salamis viret abdita lauro;
et radiis incincta, dies cum promitur orbi,
divinum tollit Delos caput; aurea mites
Lesbos alit fructus; Ariusia fundit apricis
vina Chios clivis; latices volvuntur ab alta
argenti Naxo similes genitoris in undas.
florent atque nitent cunctae redeuntibus annis,
heroum matres; et si submissus ab imis

terrarum tenebris unam Plutonius ignis
abstulit inque sinu divi conlapsa parentis
occidit: at tu durasti, pater alme, profundo
et cineres rerum condens et semina ponto.
ipsa etiam taciti caelestia numina mundi,
quae ducunt operum requiem somnumque salubrem
gentibus humanis tenebrasque diemque vicissim
aetheris e gremio revocant, ut semper, amice
te repetunt; et cum per opaca crepuscula noctis
de clivis Asiae plena iam luce renidet
aurea luna mari geminantur et astra fluentis:
exsultant vada lata choris caelique meatus
sidereasque vices imitantia pectore vasto
insolitos fremitus longa et suspiria promunt.
mox ubi laetanti mundo redit inpiger heros,
victis sol tenebris, ignotae filius orae,
sollicito solvens mortalia corda sopore,
ut tibi regali decorat diademate frontem,
nec magis ipsius fulget iubar igne corusco
quam tibi quae fidos ut testificentur amores
conlustrant roseae canentia tempora flammae.
quid? iam caeruleus te non amplectitur aether?
an minus aëriae, suboles tua turbida, nubes
ex patriis surgunt thalamis? quas deinde per orbem
mittis, ut arentes recreent in vallibus herbas
et tonitru gravidae vel tecum murmure certent.
non tibi semper adhuc sinuoso conligit alveo
errantes Maeander aquas cantuque Cayster
cygnorum resonat? non tu quoque, Nile, tot annos
celator capitum, longinqua ex arce triumphans

ceu bellator, io, undarum flumine turgens
laetus ad amplexus properas, ditissime, patris?
tu tamen, Aegaeon, maeres, et nocte serena
saepe tuos Nymphae gemitus mirantur, et antris,
si liceat, vitreis regnoque excedere malis.
occubuere etenim caelesti stirpe creatae
Graiorum gentes, quae celsis urbibus oras
et templis cinxere tuas, ubi putridus aevi
torpor et inmundos hodie situs occupat agros
et miseris veterum iacet ars tumulata ruinis.
o ubi conspiciam templumque urbemque Minervae?
iamne decus columenque tui per saecula regni
cum tumulis hominum senio conlapsa putrescit?
an famae indicium superest? ut navita litus
forte legens urbis memoret cum nomine sortem?
quo feror? en magnae superantes tecta columnae
et statuae superum praecelsa ex arce refulgent.
iam populi voces rauci ceu murmura ponti
increscunt reboante foro; iam strenua turba
funditur ex vicis magni ad navalia portus.
iamque ratem longinqua volans mercator ad arva
solvit, et adspirant liquidae divinitus aurae.
quippe amat ut vatem deus hunc quoque, munera terrae
exaequans quoniam sociat diversa propinquis.
ecce Cyprum tendit Tyriasque adpellit ad arces,
Colchida nec penetrare timet terramque Sabaeam,
dum vina et fruges et vellera murice tincta
in patriam revehat: non orbis terminus illum
Herculeus retinet, quin ad nova rura feratur,
rura beatorum, spe fretus et alite vento.

ast alias patrio volvens in litore curas
auscultat iuvenis solus spumantibus undis,
eventus meditans rerum bellique pericla,
non humilis pelagi et patriae telluris alumnus.
nam rex Persarum multos iam barbarus annos
armaque et inmensum servorum conligit agmen,
Graiorum temnens angusto limite terras,
vix operae pretium bello: nec noverat umquam
ingenium populi aut natas divinitus artes.
evocat aurorae gentes, et ut aestuat igni
purpureo ruptis late fornacibus Aetna
oppidaque et condit liquefactis rura metallis
et segetes, donec pelago fera flamma quiescit:
sic late campos urens atque oppida vastans
proruit ex Asia praeceps cum rege iuventus
Cecropiasque evertit opes, dum trans freta ponti
heu patriae profugi spectant incendia cives,
et planctus resonant cum femineo ululatu.
sed nullis cineres lacrimis revocantur ad auras
vitales; regnant per rura silentia leti.
volvitur ad caelum fumus; raraeque cupressus
maerentes adstant hominum rerumque sepulcro.
sed recipit profugos Salamis. Salaminis ad oras
fata exspectantes patriae stant agmine denso
Cecropides, puerosque manu salvosque nepotes
versant. ex pelagi latebris solatur amico
murmure Neptunus; sedet alta Iuppiter arce
explorans trutina eventum. nam lucis ab ortu
lenta velut gravidae nubes et litora late
concutiens Bellona tonat nec fervida solis

spicula de medio sentit candentia caelo.
nec vero heroum suboles, Theseia pubes,
divino partem spectantes numine pugnae
confectam certare valentius atque secunda
uti fortuna dubitant et temnere mortem.
namque in desertis Libyes ut saucia tigris
non cedit letum metuens, sed fortius instat
victoresque fugat rabie: sic iussa tyranni
iam pulsis animos addunt atrocia Medis,
instaurantque infausta novo certamina nisu
Marte serente iras. paria ut luctantia prorae
amplexus iungunt; labuntur in aequora clavi;
merguntur naves et fracta cum rate nautae.

interea attonito tanta vertigine rerum
discrimen pugnae regi praecordia terret.
exsultat, metuit: dubitans ceu fulmina iussa
dividit, at pereunt belli intercepta tumultu.
membra virum, naves fractas et corpora caesorum
innumera heu regi cumulat Neptunus in ora
ad solium misero, fremebundo ex litore turpem
cernenti cladem: fugientum urguente caterva
ipse fugit, celeratque deus; fugit aurea classis
per pelagus; ridet Nereus fastusque superbos
contundit tumidumque minacibus exuit armis.

Cephisi repetunt alacres deserta fluenta
Thesidae dulcesque lares: de collibus ingens
volvitur unda virum, pueri teneraeque puellae
in valles tacitas. post multos ut puer annos,
quem velut exstinctum genetrix deplorat acerbis
fletibus, inprovisus adest maestamque salutat,

sero: nam curis animus contabuit illi,
vix ut concipiat cari solacia nati,
nec reficit fessam nimium sperata voluptas:
sic patriae torpent bello redeuntibus agri.
nam frustra quaerunt fana et nemora alta deorum,
nec reduces hilarat noti fiducia tecti,
traiectis ut saepe vadis cum tuta petentes
litora Munichiae templum nitidamque Minervae
tandem spectabant oculis umentibus arcem.
attamen agnoscunt deserti fragmina vici
hortosque tractusque viae: ubi porticus ampla
inque foro statuae stabant fanique columnae,
commoti iungunt dextras memoresque deorum
fraternis sociant animis nova foedera legum.
mox etiam sua quo lateat sub pulvere quaerunt
parva domus; lacrimat mulier per colla mariti
fusa, memor thalami; rogitant dulcissima nati
pignora, qui redeat mensae cenantibus ordo
tutelaeque domus Vestae laribusque probandus.
candida mox surgunt tentoria: more paterno
vicini iungunt postes; ubi cuique sodales,
aërias passim ponunt in collibus aedes.
iamque habitant vitae veluti secura futurae
prisca virum suboles, firmo qui robore freti
migrabant ut aves per plana, per ardua terrae
nil nisi silvarum frondem rivosque sequentes.
ac simul egregios iterum fovet optima natos
amplexu genetrix tellus tepidoque quiescunt
sub caelo placidi, patriae dum spiritus aurae
Lethaeos adflat somnos platanique susurrant

Ilisi ad ripas venturi et praescius aevi
ad nova pelliciens Nereus certamina noctu
murmurat et fessis felicia somnia mittit.
ac varios reddit flores sol aureus arvis;
vastatis in agris manibus producta deorum
rursus oliva viret; securae gramen ut olim
Cecropides pascuntur equae per rura Coloni.

nec mora: Neptuno castaeque accepta Minervae
urbs crescit specie pulcherrima, sideris instar,
artis et exornata manu, quae saecula temnens
sublimes animos terreno ex pulvere tollit
mortalemque hominum subolem coniungit Olympo.
materiem praebent saltus, montesque propinqui
certatim cuncti lapides atque aera ministrant.
proveniunt igitur tamquam spirantia signa
artificis manibus crescuntque ex marmore silva.
ecce micant putei; deducti tramite fontes
aërio nitidis properant se infundere labris.
ceu legio extendit frontem, porrecta domorum
progreditur series; prytanum splendentia surgunt
atria, Mercurioque patet spatiosa palaestra.
multa tenent delubra deos; sed cetera longe
materia formaque tuus supereminet, alma
Pallas, Athenarum custos, ex pulvere collis
splendidior multo surgens, longumque per aevum
Neptunoque tibique nitet, dum cantibus actam
Suniadem festis celebrat Theseia proles.

felices! tandem superis migrastis ab oris
in tenebras? haustoque semel medicamine Lethes
nec desiderium pia nec vos vota reducunt?

heu, numquam vos adspiciam? non ulla viarum,
quis viridis sulcatur humus, simulacra verenda,
vos mihi monstrabit? linguamque et nomina vestra
propterea didici, nimio confectus amore
ut miser ante diem vestras compellar ad umbras?
at procul in saltus vestros nemorumque recessus,
qua levibus condit Parnasus culmina nimbis,
pergere fert animus: ubi si inter saxa vepresque
templorum cineri inpositos ruptasque columnas
Castaliae inveniam latices laurusque silentes,
laetitia inlacrimans multo cum flore rosarum
et tepido cum lacte simul mellisque liquore
in virides herbas fontis pia flumina fundam,
ne mihi vos, manes, mortis careatis honore.
illic aut vallem tacitam aut pendentia Tempe
incolere est animus vestrorum et pascere mentem
carminibus vatum vitaeque ediscere mores,
dignior ut fiam thiasis adsuescere vestris.
a, meat in tenebris hodie, sine numine divum
Tartareas gens nostra vias: quos dira peculi
cura tenet clamorque hebetat stridorque rotarum
fervente in vitae stadio; multumque laborant
viribus inmensis, atrox genus: at sine fructu
laetitiae calidus manat de frontibus umor,
nec miseris prius alma quies iterumque redibunt
gaudia tuta viris, pietas quam vera fidesque
obsequiumque dei stabili coniuncta vigebunt
foedere cum Venere Urania Graiaque Iuventa.
tunc, o Cecropiae veneres virtusque Lacaena,
Graiorum o verni soles, o tunc, ubi noster

venerit autumnus maturuerintque supremae
et veterum messes exacto temporis orbe:
tunc etiam vestras memorabunt carmina laudes,
heroes veterum, et vestrae virtutis honore
invidiam nimii minuet gens grata triumphi.
  florete interea, dum semina nostra tumescunt,
horti Maeoniae; et qui frondetis Athenarum
in cinere, o miseram caelo occultate ruinam.
aeternis etiam Marathonia busta coronis
cingite, Phoebeae laurus, ubi libera servas
pauperies prostravit opes; et vos, ubi campis
agmina Boeotis Macedo Theseia fregit
maiorum laudes imitantia, Naides, illic
virtutem celebrate virum clademque decoram.
tu vero, Aegaeon, quamquam te Graeca Camena
carmine iam nullo memorat, spectandus ut ante
progenie laetare tua famaque perenni;
et mihi flagranti Graiae telluris amore
saepe tui resonent fremitus solesque beati
conlustrent animum trepido, securus ut undis
fidere consuescat vitae minitantibus; ac si
inmitis fortuna ratem mihi quasset et error
fatorum atque hominum pavido praecordia turbet,
te liceat meminisse tuique silentia ponti.

II.

UTOPIA.

Marmorea memini Neptuni nuper in urbe,
quae colit aligeros ceu numina sancta leones,
haec canere argutum pannosa veste poetam
aurita populi circum stipante corona:
'detulerant' inquit 'venti me ad litora terrae
(Utopiam dicunt docti), quam nulla virorum
navigia attingunt: tenebroso condita ponto
dispicitur procul Herculeis longinqua columnis.
eiectum pelago excipiunt traduntque benigne
cauponi, qui vina cibosque et mollia praebet
stragula. luna vices complerat. dulcia laetae
curarum oblito manabant otia vitae,
cum mihi nescio qui metus incidit: unde, miselle,
nummi post cenam pretiumque negante crumena?
"iam satis est" inquam "pulchre". caupo mihi tanto
plura adfert. angor cruciat; nocturna quietem
cura fugat. tandem timidus "modicum mihi, sodes,
fac pretium" dico: sed torvis ille precantem
suspiciens oculis fustem comprendit et acri
nunc umeros plaga mihi percutit horrida torquens
verbera, nunc caput, et me paene ad Tartara misit.
aufugio atque adeo praetorem. ducitur in ius
caupo, sed bene fortis adest ac talia fatur:
"hanc, quisquis sanctum nostrae telluris honorem
laeserit hospitium et pretium numerare pararit
comiter exceptus, solvat pro crimine poenam.
an sic inludi paterer penetralia tecti?

pro pudor, haereret pro corde in pectore mollis
spongia, si facinus segnis tam turpe tulissem.''
tum mihi praetor ad haec ''ergo obliviscere, sodes,
verbera: peccato longe leviora tulisti.
sed placet hic habitare, larem fundumque parare:
dignum te esse decet nostroque adsuescere mori.''
atque ego ''vellem'' inquam; ''sed numquam plena laboris
vita mihi placuit, nec quae mortalibus artes
victum dant didici: Gaius Securius olim
in patria audivi; patria me hoc nomen abegit.''
''o salve mihi'' praetor ait. ''tibi sella curulis
pontificum ad mensas dabitur, sanctique senatus
mox eris ex merito princeps plebisque tribunus.
hoc modo, amice, cave, ne quando turpe recurras
in vitium adsuescasque operi, neu forte ligonis
aedibus aut deprendantur vestigia remi:
nam victu excideres et honore pudendus et urbe.
at recubare foro, ventris crescentis in orbem
permulcere manu molem, certamina vatum
audire et iuvenum ludos spectare chorosque
virgineos, opus hocce tuumst: hoc strenuus urgue.''
dixerat, et laetae frontes hilarataque risu
ora renidebant: quin et sibi talia quisque
hospitia optabant et talia verbera tergo.

III.
PHILIPPUS NERI.

Iam senior sapiens vivebat in urbe Philippus,
grande deo decus et veri rectique magister
humano generi; cuius vel surda iuventus
(namque erat in summa semper gravitate facetus)
auribus adrectis vitae praecepta bibebat.
 hunc adiit quondam iuvenis, carissimus ipsi,
ingenio praestans dignisque parentibus ortus;
et procul ingenuo prodens sua gaudia voltu
'en pater' exclamat 'non iam mea maesta videbis
lumina: namque hodie genitoris flectere mentem
contigit et (vixdum credes) operam dare iuri
concessit penitusque hominum perdiscere leges.
tironi pandet mihi docta Bononia portas.
o mecum laetare, pater, frontemque severam
exhilara: nosti quanto complexus amore
illud sim studium: cernes, pater optime, quid sit
quo cupias cursu contentum degere vitam.
quod si non faciam, ne iam me crede tuorum.'
'laudo ego' tum placide sapiens: 'sed dic mihi: deinde
quid fiet?' 'quid deinde, rogas? tum nempe peritus
iuris ero, digitisque novus monstrabor in urbe
a pueris doctor.' 'bene. sed quid deinde?' 'patronus
in causis adero, nec erit me fortius alter
qui queat insontes defendere.' 'maxima quaeque,
iam video, spectas. sed dic, quid deinde.' 'probabor
laudaborque viris. nec gloria deerit honosve.'

'non male. sed quid deinde?' 'petent me: crescet acervus
aeris et argenti parco adsuetoque modestis.
mox villam et mercabor agrum, lautisque beato
in rebus tandem veniet tranquilla senectus.'
'belle. sed quid tum?' 'quid tum? nil, si sapio, ultra.
sed memini: quid enim? moriendi venerit hora.'
'et quid tum?' gravius 'quid tum? carissime' quaerit.
nil contra iuvenis: oculos demittit; at ille
ambabus puerum manibus complectitur, ardens
quem pudor incendit. animi vix certus et aeger
cum lacrimis multis senis in cervicibus haeret.
is tandem tacitus tacitum dimittit amicum.
aufugit in silvas exoptatosque recessus;
sed quidquid viridi in latebra cum mente volutat,
perpetuo vox illa brevis 'quid deinde?' recurrit.
mox totam peragrat patriam: comitantur euntem
verba senis: leges hominum pernoscit et uti
legibus ediscit, semper 'quid deinde?' recordans.
multorum ille virum mores perspexit et artes,
sed quodcumque videt, modulo metitur eodem.
versatur dubiis multum rebusque secundis:
fortuna docet ille frui sapienter utraque.
o fortunatum iuvenem. spem praeter et illi
sors cecidit. neque honos nec opes magnisve patronum
in causis populi strepitus plaususque beavit:
oppressos relevare malis miserosque potentum
eripere insidiis, haec illi sola voluptas,
hic labor est; hac ille deo probitate probatur.

IIII.

NEAPOLIS.

Parthenopen, hospes, vise et moriere beatus.
hic fugitiva brevis decerpens gaudia vitae,
oblitus quidquid cupienti non dedit aut quod
invisum filis intexuit invida Parca,
disce frui vitae spatio, et moriere beatus.
porrectum laeti spectas per litoris orbem,
qua patet obtutus, tepidis radiantibus undis,
in ponto naves, terra tabulata domorum.
saxorum latebras praetexunt serta Lyaei;
aëriae surgunt nutantque cacumine palmae;
litoreis hominum scandunt ex vallibus aedes
sursum, et plana vides velut hortum culmina tecti.
iam modicis pelagi cernes ex collibus undas
condentemque caput montem nigrante favilla;
illic puniceasque rosas vitemque fovebis
et matutinum capies ex aequore frigus.
quinque domant urbem simul et castella tuentur.
Tyndaridi sacrum viridanti prospicit arce;
quodque lavant undae, Luculli insigne recessu,
Caesaris heredum seriem qui claudit inertem
extremus, villam regno privatus habebat.
quacumque incedis, properantum volvitur unda.
aequor amas inopumque hominum spectare labores?
retia magna trahunt magno per litora nisu,
cantantes, tenui cum paupertate beati.
iamque inhiat lucro sanctus maris Irus ad oram
postulat et praedae partem, porguntque benigni.

interea uxores, gens insatiata loquendi,
considunt primoque colos in limine versant.
prosilit ecce levis puero comitata puella,
et crotali geminant sonitum ducuntque choream
ludentes lepidam densa spectante caterva.
adproperant aliae pulsantes tympana dextris
iudicio ipsarum citharae superantia chordas.
vertitur et variat virgo pulcherrima gyros,
at volitans pedibus numerosaque bracchia iactans
fulminat ille oculis, ferit et rosa iacta puellam.
gratia sed numquam ludentes deficit: usque
os habitumque pudor facilisque modestia frenat.
felicem populum, clemens natura leporem
cui dedit ignotumque decus borealibus oris.

per turbam et strepitum iam corpore fessus, anhelans
in superos scandis vicos. audisne tumultum
mercatus? quantis venalia laudibus ornant.
nil non hic venit: merces hominesque pudorque.
aurigae quantum clamant ex sedibus altis
obvertunt et equos: et adest puer usque secutus,
ne famulus deesset, carpentoque insilit acer.
adspice, ut arte regit cisium popa pinguis in umbra,
pauperior tardum flagris dum caedit asellum.
ac propius leno temptat vafer, oraque celans
mendicus querula fallit prece praetereuntes.
hic volgus ridenda petens spectacula mimis
ex ligno factis gaudet scaenaque trabali;
hic magus arte vocat varia pictisque colubris.

omnia sub divo fiunt: en sedulus imbris

non metuens coquus hic pultem properatque botellos;
nautarum esuriens circumstat turba, calentem
et cupide cenam vorat: argentaria parvam
conlocat in trivio mensam parcamque monetam;
hic dexter sellam tonsor, qui lintea solis
obtendens radiis barbam tibi radet opacam.
at iuxta scribae resident ad cuncta parati
concipienda manu, tristes laetasque tabellas,
sive puer mentis referat tormenta puellae
exsiliumve viri mulier soletur amantis.
ad portum properant alii congestaque saxa,
stratus ubi ad solem robustos baiulus artus
securus pandit: Capreas hinc prospicis, almae
delicias Thetidos senis et miracla marini.
adveniunt abeuntque rates, malosque per altos
escendunt nautae; spondet tranquilla phaselus
per vada velocem cursum, credisque libenter.
rhapsodum interea cingit iuvenumque senumque
turba: sedent pauci; multi stant; sternitur ingens
per terram numerus, manibusque in genua plicatis
Rolandi pugnas mirantur et ausa Rinaldi.
non male difficiles versus exponit, at illi
saepe interpellant forti clamore canentem.
o si te boreae gens barbara pellat ab oris,
huc age, Maeonide, propera: hic rursus, ut olim,
Graecos paene homines caelumque tuebere Graecum.
    flammigero haec inter descendit ab aethere Titan;
lenia te iactant undae momenta ratisque;
undique iam circum sinuosi litora ponti
innumerae fulgent flammae, pia lumina noctis,

et secat accensis facibus mare nauta coruscum.
o auris semper tepidis et odore beatae
ambrosio pelagique simul dryadumque susurris
noctes Parthenopes, dum gaudia vestra recordor
laetitia exsultans, obliviscenda vel almi
regia celsa Petri tholus et sublimis Agrippae
collesque Albani, gelidae vel Tiburis arces
atque Anio praeceps et amabilis ora Panormi.
sed fugat astra dies, mox escensurus in altum.
undarumne audis strepitum? quo tendis, amice?
an vocat Hesperidum donis te litus amoenum
Surrenti? splendent procul alto vertice saxa
atque pii vatis postes et culmina tecti.

V.

PISCATORES CAPREENSES.

Campano vicina solo scopuloque Minervae
praeruptis succincta riget brevis insula saxis,
ardua Parthenopes Capreae custodia pulchrae.
rara propinquanti statio praebetur ab alto:
sunt duo namque loci: capit et maiora reductus
navigia is portus, turrita Neapolis unde
conspicitur pulchrique micantia tecta Salerni.
at procul hoc alter (vocat oram nauta minorem)
nil nisi desertum spectat sine litore pontum
aëraque inpositum ponto caelumque profundum.
pertenuis tantum ratis huc adpellat: ubique
aspera saxa vetant latransque exaestuat unda.

in scopulo iuxta castellum putre senecta
conspicis, incertum veterum munimen avorum
sit positum contra praedantes undique Mauros,
qui saepe hinc pueros rapiebant atque puellas,
an nuper robur metuens classesque Britannas
Gallica calliditas subitam congesserit arcem.
descendens ad aquas humilem mox obice rupem
invenies modico pugnantem audacibus undis:
huic adfixa latet tecto tantumque rotundo
proditur extrema casa piscatoria terra;
saxa redundatos prohibent inmania fluctus,
qui tamen haud raro adsultant et limina rorant.
vix homines tellus alit usquam moribus aeque
simplicibus, vel alunt potius spumantia ponti
aequora: non campos umquam paupercula findit
gens rastris oleamve metit palmaeve quiescit
sub foliis: myrtus iam sola agrestior illic
nascitur et vepres tenues et inutilis alga.
haec saevo magis est pelago cognata propago
quam prato viridi vel laetis frugibus agris.
usque parem miseris reddit lux quaeque laborem:
demittunt, retrahunt, siccant in litore lina,
mox iterum in pontum iaciunt iterumque reducunt.
hic puer a teneris per fluctus nare diebus
incipit et clavum regere atque incumbere remis,
volventemque orbes manibus delphina protervis
tractat, ubi adproperat cantus dulcedine captus.
caelicolae vobis faveant operique diurno,
naturae in gremio positis pelagique recessu;
et desiderium maius cum nulla cupido

excitet, et xiphias vobis et maxima thunnus
praeda obtingat: emit nummosa Neapolis illos.
felices. quotiens Mavortis cumque per arva
incessit rabies et opes concussit et ampla
regna hominum: vos hic Hispanos atque Britannos
vidistis Gallosque, et tuti finibus orbis
saxorum in latebris tumidi prope murmura ponti
audistis sonitum rerumque hominumque ruinae.
vivite. vixerunt pariter proavique patresque,
et cum Sirenum seiuncta est insula rupe,
et cum maestus in hac se absumpsit Claudius ora.

VI.

SOMNUS.

Involvunt tenebrae campos collesque supinos
scintillantque ignes caeli de culmine: leni
Vesper adest voltu magnumque adscendit Olympum.
ergo per terras rixis turbisque sepultis
clamores hominum atque animantia cuncta silescunt,
et quidquid lugubre tulit mortalibus Eos
sollicitusque dies, dulci composta quiete
omnia cum Phoebo Noctis clementia placat.
    adproperat Somnus, divum placidissimus, orbi,
Somnus ab occulto delabens vertice caeli,
tranquillae proles longe pulcherrima matris.
qualis in umbroso venator Latmius antro
oblitus recubat luctae durique laboris,
fusus humi: nulli surgunt in corpore nervi,

suavia sed placido respirant otia voltu
et prope virgineo turgescunt membra decore:
miratur veniens illum nec tangere Phoebe
audet, ne pacis tacitae turbetur imago:
non aliter, quamvis volucri secat aëra planta,
ambiguum puerine virine imitantia formam
membra dei vernant molli teneraque iuventa.
  ipse gradu certo per amica crepuscula lunae
persequitur taciturnus iter, victorque benignus,
auditus nullis hominum neque visus ab ullo
lumina cunctorum Lethaea papavera quassans
claudit et adspergit iucunda oblivia vitae.
protinus aëriae volucres effundere voces
desistunt; remeant vel apes florentis Hymetti
a dapibus; pecudes demittunt colla quieti;
saltusque frondesque silent ventique residunt,
et rivi cita lympha pedem proferre recusat.
quin etiam inrequieta maris luctansque procellis
unda, simul Somni permulcet spiritus auras,
sternitur et moriens in litore lene susurrat.
  verum hominum populis ut amici lubrica Somni
ora micant, subito magicis ceu tincta venenis
lumina languescunt, sensus et amabilis error
occupat et blandi nascuntur mente tumultus:
mox veri falsique notas confundere gaudens
Phantasus aëriis contexit somnia filis.
tum tristes fugiunt curae; cruciatus et angor,
cum luctu gemitus gravium et tormenta dolorum
sedantur; veterisque simul speciesque futurae
laetitiae recreant leni solamine mentem;

ipsa etiam fera culpa, latens quae pectore sontis
dilacerat corda haud umquam satiata nocendo,
ipsa etiam fera culpa, dei sopita benigno
adloquio, requiem patitur poenasque remittit.
omnia qui recreas, rerum mitissime, Somne,
quandocumque hominum per agros incedis et urbes,
et mihi, sancte, fave lassataque membra resolve;
atque olim, precibus non exorabilis ullis
si veniet frater, vitae qui terminat annos,
Somne, soporifera clemens mea tempora virga
tange, precor, corpusque meum, si tanta precari
fas homini, morbis vacuum vacuumque senecta,
viribus intactis placida compone quiete.

VII.

AETHER.

Fidus amansque ut tu nemo me divus homove
eduxit, pater alme: prius quam matris amica
bracchia me tulerunt alueruntque ubera corpus,
tu me fovisti puerum, tu flumine vitae
sucoque ambrosio pectus mortale rigasti.
non solis Cereris crescunt animantia donis,
sed tu cuncta tuo perfundis nectare puro,
atque aeterna tuae venas mollemque medullam
sanguine roranti permanat copia vitae.
propterea te cuncta pio venerantur amore
exceptantque tuas auras et laeta capessunt.

non tua, caelestis, gemmis turgentibus arbos,
non et odorati tua quaerunt oscula flores?
ut te conspiciant, perrumpunt semina glaebas;
ut recreata tuo lavet alta cacumina rore,
silva soluta gelu niveum decussit amictum.
quin etiam ex imo Neptuni gurgite pisces
ludis subsiliunt variis et flamine vesci,
o pater alme, tuo cupiunt; animalia terrae
continuo generosa volant, ubi saucia sancto
pectora amore tui desiderioque calescunt.
stare loco tum nescit equus: petit ardua cervix
alta, volantque iubae; vix ungula tangit arenam.
vix per prata vagans stringit pede gramina cervus
et zephyris levior transmittit spumea saxis
flumina; vix fugientem oculi in virgulta sequuntur.
sed propior caelo volucrum pia turba parentis
perpetuo aeterna ludens exsultat in aula:
non illis spatium est fixum certive penates,
sed magnae parvaeque meant qua cuique libido est.
ergo illae liquido permulcent aëra cantu
et stolidos revocant homines ad tecta parentis,
qui reptant proni per humum: ceu vitis oberrat,
sola, carens ulmo, qua fulta exsurgat in auras,
sic humiles per humum reptamus lumine cassi,
perque plagas orbis venamur gaudia vitae,
frustra: namque tuos animus desiderat hortos.
Nerea temptamus, spirantia ut aequoris arva
exsatient mentem; iactant inmensa carinam
terga maris; gaudet Tritonum navita ludis.
sed fera cura manet: semper nam purior unda

pellicit Oceanusque profundior. o ubi fontes
aetherii Solisque lacus thalamique rubentes
Aurorae: o qui me divinae lucis ad ortus
sistat et intrepidum submergat turbine caeli.
sed procul hinc tua dum cupio contingere regna,
aurea caeruleo pulsas ubi litora fluctu,
murmure cum leni spiras de tegmine fagi
inrequieta tuis placans mihi corda susurris,
floribus ut terrae vivam contentus ut ante.

VIII.

R O M A.

O Tiberine pater (nam dum viret inter utrumque
Hesperie porrecta fretum, laetissimus arces
has cursu repetis), meministine, alme, dierum,
cum nondum aëriis Capitolia nixa columnis
te prope fulgebant tenebrisque abscondita Romae
gloria non fastis hominum, non voce vigebat?
quantos in Latia posthac tellure triumphos
quantaque vidisti maerens ludibria fati.
salve, dive pater; cumque aureus aethere in alto
Hesperus accendat stellas noctemque reducat,
hic ubi grata sonant blandi suspiria venti
cum platanoque ulmus tacito sermone susurrat,
da mihi, qui nubes fugiens gelidosque triones
ad tua vere novo florentia regna tetendi,
dum salientis aquae sancti prope limina Petri
lympha loquax animum numeroso murmure placat,

hanc noctem da, dive, tuas requiescere ad oras
atque animo sortes veterum revocare virorum.
fallor an exoritur pulsis lux clarior umbris
et merso vix sole redit Tithonia coniunx?
nam video campos croceo splendore micantes,
purior et colles placidos circumvolat aura
non hominum bellis, pecudum non caede cruentos.
namque habitant superi mixtis mortalibus arva,
Saturnusque senex ingrato pulsus Olympo
cum Iano et virgo populos Astraea coercet.
tempus in inmensum multis redeuntibus annis
otia contentae ducunt ingloria gentes,
advena donec adest stirps et tellure quietem
exturbatque deos. vehitur Nonacrius exsul
in Latium primus, qui moenia Pallantea
ponit et externis aperit penetralia terrae.
vadit ab hesperio victor Tirynthius orbe
Geryonis ducens vaccas Cacoque perempto
indigenis sancta colitur peregrinus in ara.
et iam vela volant Teucrum. tua, Thybri, fluenta
conscia Dardanidis blando cum murmure cedunt
excipiuntque ducem, multo qui sanguine Turnum
sternit et Italiae Troianas erigit arces.
sed primo tantum Lavinia moenia, post haec
Alba subit, necdum terris sua cognita Roma est.
sero ingens fatis partus maturuit: omnes
exspectant pelagi fluctus terraeque silentes
Mavortis subolem. tandem Roma incluta surgit
imperiumque datur populis. quas conditor heros
bis senas volucres faustum de colle Palati

conspicit augurium, quantos percurrere tractus
terrarum properant alis: nam solis ad ortum
tendere et occasum video: qua Caucasus agros
terminat Aeaeos; qua siccis dives arenis
tura coquit superis Panchaia, quaque refusus
Oceanus Gades ignotis adluit undis,
inpavido volitant motu: nec frigora caeli
arctoi metuunt Libyci nec spicula solis.

principio magnam esse neges: capit unius urbem
circuitus clivi; vix et descendere valles
in patulas audet collesque subire propinquos.
ut quantum ramis exsurgit ad aetheris auras,
tantum sub terram penetrat radicibus ilex:
sic qui spectandas per saecula conlocat aedes,
fundamenta manu sapiens demittat in altum
et duro insumat noctesque diesque labore.
hac tangit virtute potens caelestia Roma
sidera: nam tardo firmans molimina nisu
legibus una suis totum complectitur orbem.

quae subito adparent septem veneranda virorum
corpora? bella gerunt acres et finibus hostes
propulsant; leges alii divinaque iura
constituunt; urbem templis et moenibus ornant.
regiaque a Tuscis insignia civibus ante
non visa adsumunt; concordi foedere plebem
cum patribus sociant viresque Quiritibus addunt.
at capite obducto cur sextus prodit ad auras?
heu miserande senex, generine piacula celas?
qui poteras dominum ante fores, o curia, templi
cernere proiectum et perfusum sanguine frontem?

quid? patris exsultat leto regemque salutat
Tullia dira virum? senis et moribunda per ora
carpentum ad maestos flectit secura penates?
sed vigilant divi: cumulant super altera crimen
crimina Tarquinii: moritur temerata nefando
dulcis adulterio Lucretia: denique Dirae
accingunt operi, Iove missus et auspice Brutus
evertit regnum libertatemque reducit.
tum vero inmani fortunae turbine Roma
iactatur: quatit horrisonum Bellona flagellum.
ac veluti quondam cum venti proelia miscent
frontibus adversis, Boreas Eurusque Notusque:
pugnantes rabidi paribus prope viribus hostes
aëra perturbant flabris (furit aestus ad astra),
dum superans unus reliquorum robora fregit
et late victor latis bacchatur in agris:
non aliter gentes Latiae rigidique Sabini
Volscus et indomitus pugnis Etruscaque pubes
invidia instigante iras convellere temptant
urbem Romuleam; sed adire pericula fortis,
multa quidem luctans, victrix et victa vicissim
cunctos illa domat latum et dominatur in orbem.
lux oritur nullos obliviscenda per annos,
barbara quae captam Gallorum inmittit in urbem
agmina. diffugiunt caeco terrore Quirites
cum natis sacrisque deum, vacuosque vagantur
per vicos hostes: Capitolia sola tuetur
exitio devota manus. delubra domosque
diripiunt Galli, volvuntque incendia flammas
ad caelum: mox cuncta silent: Mavortis in urbe

Martia canescit messis fecunda ruinis.
altera ceu Niobe natorum strage cruenta
in cineres conlapsa suos riget incluta Roma
inlacrimatque malis: maerent tua litora, Thybri,
et late circum campi collesque Sabini.
decipior? clangorne tubae ferit aereus aures?
en vexilla volant tibi nota per aëra, Roma.
surge rogo, mater, saevum et compesce dolorem:
nam superum iussu vindex ultorque parentis
ecce tuus rediit, rediit tuus ecce Camillus.
est apud extremos, si vera est fama, Sabaeos
Solis avis: quae cum tenues languescere vires
sentit et ad finem paullatim vergere fata,
ipsa rogum scandit, sed mox ex igne renascens
incohat alterius iuvenilia tempora vitae.
huic sese ex flammis et clade simillima Roma
attollens maior multoque valentior exit,
et mox aucta virisque animisque et freta iuventa
Italiae imperium certa iam mente reposcit.
sed quis per volgus magni post terga Camilli
ingreditur densa comitum stipante caterva?
exhortantur enim, nisi quid me fallit, euntem
ingenti et clamore iuvant; ipsumque severa
ostendit facies et frons contracta labori
adsiduo adsuetumque operi longumque per aevum
et luces solitum et meditando insumere noctes.
non illum magnive lares nomenve parentum
extulit egregium: plebeiae est gloria matris.
o Sexti (quoniam propiorem agnoscere nunc est)
o Sexti, tandem potuisti vincere patrum

invidiam? annorumque decem constantia tandem
participem summi plebem quoque fecit honoris?
o salve consul primus de plebe creatus.
te nemo patriae moderari dignior urbis
frena fuit regere et cursus maiora petentis,
o ducibus magnis et milite fortior omni
qui partam sine caede tenes, sine funere palmam
exemploque tuo docuisti primus in orbe,
ut discordantes melius patientia fratres
conciliet virtusque tenax et certa voluntas
quam Martis rabidi furor et temeraria bella.
ergo te verae qui libertatis alumni
stultitiae inpugnant fastum vanosque tumores
et populo toti multo sudore laborant
iustitiam sacrare aequam legesque perennes,
cum patriam turbae atque agitabunt iurgia cives,
te quoque suspicient tantaeque imitamine laudis
obtunsas acuent gravia ad certamina vires.
    ac ducibus tantis tantis et civibus aucta
Italiae domitrix utriusque ad litora ponti
progressa obstipuit. nam blanda admurmurat unda:
'persolvat meritas Poenorum regia poenas
Circaeaeque ineant Neptunia flumina silvae.'
nec mora: de clivis descendit in aequora pinus
terrestresque nec ipsa vadis adsueta colonos
non prius auditi vehit ad discrimina belli:
namque novis Poenas remoratur rusticus alnos
pontibus, et fragili pedites trabe proelia iungunt.
Doridos attonitae spectant ex rupe puellae,
utque hominum tutus videat conamina tanta,

squameus inflata Triton considere concha
ventorumque iubet rabiem pelagique tumultus:
illi inter sese diro molimine certant
hostiles capere aut ponto submergere puppes,
donec Romulidis tradit Victoria palmam
et cedit pelagoque suo terraque Triquetra
Poenus et in Libycis frendens se abscondit arenis.
saucia sed raro cadit uno volnere tigris.
usque memor probri duplices mox conligit iras
Afer, et inpatiens pacis tempusque locumque
exspectat belli gliscentesque excitat ignes.
adiacet Oceano campis Hispania paene
confinis Libycis, qua non felicior ulla
muneribus Cereris tellus aurive metallis.
et populos nutrit validos; sed caeca cupido
saepe feras agitat mentes; odium inter amoremque
instabiles fluitant dirimunt et sanguine lites.
hac potitur Poenus terra gentesque feroces
indole naturae saevi certamina Martis
arte docet fingitque animos et corpora durat.
mox Numidas Maurosque simul sociataque Poenis
agmina Baeticolum montes et flumina temnens
per Rhodani fines rigidas adducit ad Alpes
Hannibal inventaque via per nubila caeli
milia multa virum Italos inmittit in agros.
Africus ut praeceps hiemis cum vincula solvit
et nivium tepido liquefecit flamine molem,
per valles tumidi celsis de montibus amnes
deproperant; stridunt aurae rumpuntur et imbres
nubibus effusis: evictis flumina ripis

per segetes et prata ruunt hominumque labores
conluvie foedant; super alta Iuppiter arce
fulminat et tonitru mortalia pectora terret:
haud aliter niveis transcensis Alpibus Afri
Ausoniae invadunt fecundos ubere campos
omnia vastantes: pereunt armenta domusque
innumerae, pereunt homines; temeratus equinis
squalet ager pedibus, squalent sine vitibus ulmi.
caesa cadunt arbusta manu, latebraeque ferarum
igne recluduntur; antiqua sede revolsa
aufugiunt volucres; crebris ululatibus urbes
cum pagis resonant et nubifer Appenninus.
cladibus exstirpata tribus Romana iuventus
occumbit; tolerant puerique senesque laborem
militiae et servi pro libertate merentes.
at tamen in tanta belli stat Roma procella
proposito inconcussa suo: lacerata cruentis
ensibus et quamquam toto de corpore sanguis
volneribus manat centum viresque labantem
deficiunt natosque videt tot casibus haustos,
dis confisa suis invicto robore durat,
fluctibus ut Libycis rupes inmota resistit,
undique quos circum glomerat celer impetus euri:
ingenti fremitu adproperant quatiuntque minaci
albas fronte iubas totamque adspargine rorant,
sed postquam venti posuere aterque resedit
pontus et aequata facie nitet Amphitrite,
mole sua victrix undas supereminet omnes
innocuusque fluit salsus de pumice sudor.
maiorem tandem ipse suis intellegit urbem

viribus et frustra victor mandata senatus
invitus peragens patrias petit Hannibal oras.
  sed rubet australis flammis trepidantibus axis
et, si quid video, longinqua incendia claram
per caeli convexa vibrant ceu fulgura lucem.
decipiunt numquam veneranda oracula divum:
venit acerba dies et inexorabile fatum,
quo Tyriae pereunt arces et Punica regna
totaque Phoenicum dispersa per aequora proles
desperans domino dat libera colla superbo.
ferventes iaculatur ad aethera Byrsa favillas,
saevus et effusis amplas Volcanus habenis
per plateas equitat fumique volumina torquens
atria magna Iovis picea caligine condit.
at victor sedet excelsa Romanus in arce
urbis et excidium maerens lacrimansque tuetur:
nam subeunt variae mordentes pectora curae,
fortunae levitas et iners prudentia mentis
humanae fatique vices poenaeque morantes.
  iam procul egreditur patria mundique peragrat
audax Roma plagas, maris omnia litora late
et terras utroque domans sub sole iacentes.
cui rerum imperium non fors aut gratia divum
tradidit inmeritae: multo sudore paratum
a patribus retinent multo sudore nepotes.
ac leges sancit populis et publica iura:
ne maris incerti longinqua per aequora naves
infestet timidas praedonum effrena caterva,
neu domini exstinguat gentes vesana libido
seditio aut caecos gignat lacrimosa tumultus,

solis ab hesperio victricia saepe cubili
agmina ferventes orientis mittit ad oras.
ergo non vanas species, ut saepe, secuta
gloria, sed virtutis amans meritumque coronans
usque nova Romae devincit tempora lauro,
nec iam sufficiunt pompis arisque iuvenci,
o Clitumne, tui: duo nam per saecula paene
continui scandunt Capitolia magna triumphi.
plangite Romanae mortalia fata Camenae.
robore freta suo quae tot discrimina rerum
pertulit atque alia ex aliis in bella vocata
victoris numquam turpes accepit habenas,
in nimium provecta labat nimioque gravata
pondere declinat nullis urguentibus extra
hostibus: ipsa suae poenis obnoxia culpae
et vitiis venas taetro torpescere morbo
sentit et in validas letum penetrare medullas.
aufugiunt natae Latio divinitus artes,
virtutumque augusta cohors, quas sancta vetustas
Fabriciis Curiisque tulit, iam pulsa recedit
flagitio; crescit scelerum fecunda propago.
iustitia in pretium vertit, proavisque probata
paupertas in avaritiam. rarescit in urbe
sanctus amor patriae, regnat damnosa voluptas
foedaque luxuries et honorum caeca cupido.
Italiae squalent orbi cultoribus agri:
libera nam cecidit, cui succubuere phalanges
Aeacidae, quondam densissima rustica pubes;
barbara iam pugnant pro civibus agmina, cuncti
conluvies orbis, Libycaeque Asiaeque catervae

mixtaque cum Gallis regnum eversura iuventus
Germanorum olim dominae. nec proelia iusta
decernunt acie, sed in ipsa non semel urbe
per plateasque forumque furit Mavortia pestis.
interea indignans, quando penuria victus
milia multa premit, paucorum alimenta ministrat
terra libidinibus pelagusque Erebique tenebrae.
his conchas alit Oceanus tutasque remotis
Phasis aves antehac ripis; his Media poma
Alcinoi Numidaeque feras Alpesque levamen
aestatis glaciem; his Plutonis tecta refringens
sidereas fossor gemmas aurumque reportat.
furta nec ulla timent: sociorum parta rapinis
matronae gestant cervice monilia: nempe
Lollia ut incedat nitidis adoperta smaragdis,
eoae pereunt gentes, gazasque Sabaeas
Antoni meretrix consumptas sorbet aceto.
utque nives bruma concretae vere liquescunt,
divitias partas subito dementia perdit:
piscinae tenuant campos, pretiumque triumphi
excedunt mulli; genialem Hortensius hortis
arte satis platanum puro rigat ipse Falerno.
quid? quod inexpleti proceres in rura clientum
transiliunt, et cum nimis arta sit area tellus,
in pelagi fluctus longe exspatiantur et urbes
caementis taciti missis in viscera ponti
aedificant patrio pellentes limine pisces.
iamque ferae praestant homini: muraena virorum
carne saginatur; saturos spectacula voltus
ut nova pelliciant, populi plaudente corona

servorum saevis laniantur corpora pardis,
aut ficto dirae (infandum) simulamine pugnae
sanguine perfundit moriens gladiator arenam.
nec tamen haec hilarant plenas iam gaudia mentes:
namque voluptatis pellunt fastidia sensum
quis olim metuenda fames nunc ipsa supremis
expetitur votis et blandi munera somni
non strepitu lymphae, citharae non voce parantur.
o nimium miseros, quos dives copia rerum
corpore nec sanos praestet neque mente beatos,
taedia sed languorque et natae crimine curae
noctes atque dies peius vel morte trucident.
    unus in hac unus tanta vertigine rerum
eminet ante omnes, laeto quem lumine Pallas
nascentem adspexit largis et prodiga mentem
dotibus ac faciem regali adflavit honore.
non fuit ignarus culpae tacitique pudoris:
nam non hoc tribuunt superi mortalibus, omnem
ut casti sine labe diem, sine crimine ducant.
ac vel plus aliis, cui vena benignior intus
fervidiorque tumet graviore et turbine pectus
pertemptant amor atque odium famaeque cupido,
corpore dum vernat sanguis, probitatis ab arto
limite declinat: sed cum sedata salubri
consilio iam vita fluit normamque voluntas
a ratione petit, tum vero emergit ad oras
aetheris inmundo surgens a pulvere virtus.
quercus ut in saltu late sua bracchia tendens
vertice sublimi nemorum supereminet umbras:
in silva viret innumera, sed nubila caeli

sola subit ramis meliore et vescitur aura:
non minus aequales Caesar proceresque Latinos
ingenio superat, paucos etiam inter alumnos
Palladis excellens, et tangit sidera fronte.
liberius solito fruitur florentibus annis,
luxuriaeque velut submersa est gurgite Roma,
ipse voluptatis cupide spumantia ducit
pocula, mollitiaeque datus ludisque iocisque
nobilium ut plebes mergi languore videtur.
at vixdum iuvenis Sullae mandata superbi
temnit, et ut fidi servet conubia lecti
a laribus patriis Asiae fugit exsul ad oras.
mox animum vitae fluctus fatique procellae
ante diem firmant: patriae inpendentia damna
cum videat solus valeatque obstare ruinae,
officio parens cito maturescit et omnes
ore potens hominum mores et flectere mentes
quo volt invitos mira trahit arte Quirites.
ac duplicem inponit iuveni fortuna laborem,
barbariem ut patria avertat gentesque boreas
et res Romanas domini submittat habenis.
ingentes igitur versant praecordia curae
inducuntque genis rugas maciemque capillis:
arguti at fulgent oculi, suadelaque labris
insidet et placidae maiestas regia fronti.
plus semel ante novae miro melioris amore
et Iovis et fundi longinquo a litore gentes
ad loca Danuvio et Rheno vicina profectae
viribus et feritate sua regna omnia late
terruerant, tribus et Romanorum agmina pugnis

non umquam prius audita cum strage fugarant.
a latere hos melius compesci posse tumultus
Caesar et Ausonia sperans tellure reflecti
Gallorum latos violentis concutit agros
fulminibus sternitque gravi certamine gentes.
attonitus plagis stupet imo Rhenus in alveo
et primi patiens recipit iuga flumine pontis;
attonitae spectant legionum incognita signa,
Romuleas aquilas, fasces saevasque secures,
trans amnem densae Germano in limine silvae.
nec requies: classem subito victriciaque arma
traicit Oceanum longinquum et terminat orbem
nil non experiens, Rheni dum litora claves
Teutonici fiant et tuta repagula belli.
nec medio in Martis strepitu pia sacra sororum
neglegit Aonidum; Graecorum expromere libris
doctrinae fetus, linguae recludere fontes,
saeclorum cursus certis describere fastis,
quae statuit bello, chartis iterare tropaea,
haec illi requies curarum, haec summa voluptas.
quem de proposito numquam neque corporis aegri
debilitas nec dira fames vel saeva calente
sole sitis revocat, non brumae frigora tardant,
non positae tellure nives dubiave paludes
adstrictae glacie; nec amor laudisve cupido
declinare valent certo de tramite mentem.
propterea non ulla manus neque laetior umquam
paruit imperio nec fortior ivit in hostem.
radices comedunt, cum victus deficit; ultro,
cum premit arta ducem penuria, parca rependunt

in medium laeti stipendia; denique pugnae
cum tandem hora venit dubia et fortuna vagatur,
principis ante oculos vel vitam effundere gaudent.
conficitur bellum: patitur iam Gallia frenum
victoris, firmas et pandit Alesia portas.
altus equo vehitur tectus fulgentibus armis
Caesaris ad celsum devicta ex urbe tribunal
magnanimus vindex et felicissimus olim
Gallorum: simul arma solo sceptrumque superbum
proicit et serae servatur gloria pompae.
plangite Romanae mortalia fata Camenae.
ex Erebo surgens iterum civilis Erinys
pervolitat totum facibus flagrantibus orbem.
mentibus heu tantas nasci mortalibus iras
et tanto rerum regimen constare cruore.
unius imperio tardari posse ruinam
Italiae Caesar iam pridem intellegit atque
hunc unum se posse putat tolerare laborem.
sed non vi nec caede parat convertere mundi
atque urbis formam: leni cupit incremento
ad se res trahere et populo dare iura volenti.
at fieri quod fata iubent, stupor atque dearum
Invidia usque vetat lentissima: nempe relictam
a superis causam constantia prava Catonum
sustinet et frustra multa cum caede retardat
quae semel inmoto stabilivit numine Parca.
ergo quod vitare nequit compescere belli
instituit rabiem Caesar, saevoque pudica
discordans alias iuncta est Clementia Marti.
tu, Domiti, testis Corfini ex moenibus omni

cum stipe dimissus, testis servatus Ilerdae
foederibus quamquam ruptis exercitus atque
horrea Massiliae legionum exempta rapinis.
ac vos innumeri, genibus quos Thessala flexis
Pharsalos meminit trepidas protendere dextras,
quosque ferox Libye diras referente Iugurthae
Iunone inferias et quos Hispania victos
vidit et indigne vitam veniamque precantes,
relliquiae saecli testesque atrocis adeste,
dicite qua Caesar, cui, si victoria vobis
a superis concessa foret, saevissima quaeque
supplicia instabant, odium inplacabile poena
rettulerit caedis vixdum languente furore.
ecce silent, culpamque rubor voltusque fatetur.
  plangite Romanae mortalia fata Camenae.
qui patriae solus tantis per saecula turbis
convolsae poterat pacemque et reddere vitam,
qui libertati solus sociare valebat
obsequium et firmum robur miseraque senecta
effetum recreare futura in tempora mundum:
hunc opere infecto, nondum vergentibus annis
non divum rapit invidia aut violentia fati,
civica sed rabies odia et privata venenis
vipereis hominum quondam mutantia mentes
interimunt summum crudeli funere civem.
heu quid agis gladio feriens, o Brute, sodalem
paene patrem? non te pietas veniaeve petenti
gratia concessae, non rerum gloria; non te,
iam si prae patria vel sanctum spernis amoris
officium, non te qua victrix Roma laborat

magnorum retinet penuria dira virorum?
qui damnum pensare paras, ubi dempseris illum,
cui duo tresve pares rerum natura creavit?
en Agamemnonium nata moriente dolorem
exaequans animo, Bruti ne volnera cernat,
velato capite heu maerens descendit ad orcum.
at vigilant Poenae. cuius tibi surgit Abydi,
Brute, solo species? sublimi in corpore supra
mortales habitus voltumne agnoscis amici,
quem leto tua dextra dedit? cur ore quieto
dissimulas trepidum quem sentis corde pavorem?
haec eadem species iterum submissa tenebris
mox prope fatales tibi erit funesta Philippos.
sed multo miseranda magis viduata nepoti
Roma suo superest. nam dira caede peracta
fas versum atque nefas populis. nova proelia rursus
miscentur, fractoque furit ceu carcere nuda
saevitia et rabidum fugit indulgentia mundum.
vicina inter se sceleratis oppida pugnis
decernunt; fratrem frater natique parentes
obtruncant, nec obest sceleri pudor ullus inulto.
tandem cum superis vel Iuppiter ipse virorum
flagitiis motus rerum celerante ruina
sanguine fraterno vitiatum deserit orbem
occultasque oculis secedit in aetheris oras.
ergo etiam bellis positis et pace reducta
segnis ubique quies tardique silentia leti
incumbunt late terris, et Roma vel ipsa,
quamquam per plateas hominum volvuntur ut ante
horrisoni fluctus densisque inmensa theatra

murmuribus resonant, vires in corpore sentit
vergere Tithonique trahit morosa senectam;
ac veluti moriens dulcissima carmina cygnus
fundit et ipse suam querulo modulamine mortem
augurat, haud aliter patriae labentia fata
significant Flaccique fides et Musa Maronis.
bina tuis, Tiberine pater, contermina ripis
stant monimenta virum, quae quamvis nuda priore
ornatu et consumpta situ iam moenibus horrent
semirutis latera et rugis sulcata fatiscunt,
cuncta tamen circum delubra aedesque superbe
despiciunt veterum non umquam oblita dierum.
alterius moles multo graviore ruina
putrescens olim generosi condidit ossa
Caesaris Augusti; sed nunc conlapsa senecta
(sic hominum gaudent inludere fata tumori)
moenia mimus habet petulans, et reste ligata
Icarias audax temptat funambulus auras.
non procul in dextra longe eminet altera ripa,
arx hodie, quondam pulchri quam struxit amator
Antinoi: curis aeger lucemque perosus
hoc sibi constituit tempturum saecla sepulcrum.
heu miseros: quibus imperium terraeque marisque
regales et opes et luxuriosa voluptas
non animum placare valent, non frigora corde
pellere. quod magno semper petiere labore,
cum partum manibus versant, ut inutile pondus
temnunt abicerentque procul, ni fata vetarent.
ac magis alterius pascunt hunc viscera morbum.
omnes ille plagas terrae mariumque peragrat

aequora, Memnonias visit metasque Britannas,
quidquid ubique hominum mentesque manusque
crearunt
cognoscit, magnis et amat quod repperit ipse
amplificare bonis: cunctis in partibus orbis
aedificat, statuas ponit, dis dedicat aras
innumeras, rigidoque oriuntur marmore silvae.
at tamen heu soli perfuncta coniuge fatis
omnibus et sociis tandem deserta senectus
obrepit vitaeque odium; non ulla retunsam
exhilarant mentem nova gaudia; nocte dieque
terrarum dominus vocat aegro pectore mortem.
nec vero haec properat: ferro frustraque venenis
ipse vias leti desperans quaerit, et omnes
quam fugiunt gaudens exoptatamque salutat.
quam similes huic, Roma, dies tibi fata dederunt.
omnibus exhaustis populis opibusque coactis
terrarum tu sola nites et clara triumphis
quantos nulla prius peperit metuenda sororum
es domina et positas infra te despicis: atqui
tantarum te taedet opum tristique senecta
languida, quae reliquas marcentibus obruit annis,
nequiquam inploras mersuram te quoque noctem.
interea pridem nova manant flumina vitae
humano generi. terris dum falsa recedunt
numina quas tenuere diu, Titanis ab ortu
iudicio iniusto quamquam demissus ad orcum
adproperat victor caelesti stirpe creatus.
principio temptus populis, vix cognitus ulli
vel comitum recte, lenis patiensque repulsae,

pacis amans, tamen heu multa cum caede suorum
occupat imperium longum inmortale per aevum.
infensam ingreditur longe fortissimus urbem
discipulos inter Christi, multosque sodales
conciliat domino Paullus. convicta tremiscit
vana superstitio; sed mox stimulata pudore
certamen renovat ferroque armata potentum
iuris et iniusti edictis inpugnat inermem.
ille cadit sanctumque nefas culpamque beatam
insons inmerita consumptus morte rependit.
nec mora: praegressum mox milia multa sequuntur
in letum et tormenta ducem, repetitaque caedes
multiplicat turbas quaerentum funere vitam.
non latet in tenebris pavido nec corde siletur
mundo oblata salus: fortes laetique fatentur
pectora quo sunt plena deum; non volnera curant,
non vitam: quamvis saevi discerpta cruentent
corpora carnifices frangantque doloribus artus:
in flammas, in tela ruunt lacerandaque praebent
membra feris: animam sanctis cum cantibus almo
reddentes caelo veniam et pro caede precantes
tortori exspirant atque ipsa in clade triumphant.
haec seges in primis mundo est fecunda salutis:
hanc non exstirpant crudelia iussa Neronis,
non rabies Deciaeve minae, non ulla potentum
invidia aut stolidi praeceps dementia volgi.
maesta deo laetae crescunt per saecula messes,
insidiis donec pulsis stabilita quiescit
relligio et victus Christo Maxentius urbem
tradit et inmensis porrectum tractibus orbem.

at virtus hominum gravibus temptata procellis
laeta viget; simul ac Phoebus micat aethere puro,
languida degenerat vires oblita priores.
quam cito vel veneranda dei, Tiberine, videbis
munera delictis foede vitiata virorum.
qui modo luctantes adverso in turbine rerum
demissis humiles animis unumque foventes
corde deum spretis opibus plausuque potentum
unanimo ardebant populus fraternus amore,
victores subito mutata mente superbos
adsument fastus atque ambitione tumentes
obliti dominum calidis mysteria caeli
litibus excutient et somnia vana sequentur.
mox quoque pontifices alii servire docebunt
fraudibus occultis homines, morisque parentum
inmemores legumque dei fas omne pudoremque
invertent, turpique superstitione sacratus
successor Christi thesauros conliget auri,
atque inhians opibus nova per mendacia mundi
adpetet imperium vincetque libidine reges.
sed dum venturis nocituras auguror annis
insidias, quanta video nutare ruina
terrarum tractus et aquas aurasque liquentes?
a, tellus tremefacta labat; ferrugine dira
aetheris obruitur vertex, tristesque cometae
flammiferaeque faces furvo splendore coruscant.
armorum strepitu querulis et planctibus aurae
exundant et atrox medio furit aëre bellum.
effundunt cava busta viros, qui se agmine longo
ad caelum tollunt, scutis ubi nixa suorum

Tartareos taetris exspirans faucibus ignes
sanguineum regis species quatit atra flagellum.
ast illi trepidi expertes horroris utrimque
obnixis pugnant animis, multique per udum
aëra praecipitant iterata morte perempti.
nec mora: prodigia haec sequitur funesta vetusti
orbis et Hesperiae clades: marcente senecta
effeti quoniam nequeunt decreta tueri
sancta patris populi, subita vertigine cunctos
confundens alias Europes mittit in arva
rex hominum gentes. regnis effusa paternis
barbaries Asiae vacuum per inane vagata
occiduas petit usque plagas, dum frigida ponti
Euxini tardat fluitantes ora catervas.
non tamen illa diu: convolsae gurgite fati
ex patriis rapiuntur agris sine nomine gentes
atque vagis iunctae ingentem glomerantur in orbem.
et velut ex omni conlectis parte procellis
horrida tempestas late mersura repente
navigia incumbit pelago: sic undique vasta
congeries populorum orientis litora raptim
praeteriens Italos audax incurrit in agros
atque fores pulsat Romae: bis capta lacertis
barbaricis maeret, bis conculcata salutem
urbs pretio redimit; tandem victricia quondam
Germanae pubi tradit cum fascibus arma,
ultimus et moritur Campanis Caesar in oris.

nec veterem posthac urbs iam grandaeva resumit
Romula virtutem: quamquam Germania victrix
imperium nervosa novum labente priore

erigit et multo paullatim sanguine firmat,
nec Latio prodest peregrino robore regnum
nec vero patriae regum: nam semina pravae
invidiae iaciunt utriusque in funera terrae
externis nullo grati tutoribus aevo
pontifices, enata fovent odioque perenni
inficiunt gentes mente ingenioque propinquas.
ergo quos fraterna decet concordia, bellis
inter se certant atque in sua viscera foede
amborum melius nocituros hostibus enses
convertunt, caecique suas per saecula diris
debilitant vires rixis: mox utraque tellus
pluribus heu misere servit discerpta tyrannis.
vindicat ipsa quidem priscis confisa triumphis
Roma recens mundi regnum, multosque per annos
pontificum leges populi dominique verentur;
ars quoque Graiorum diuturna morte sepulta
exsurgit tumulis; migrant oriente fugati
trans mare cultores veterum; miracula caeli
divino pingunt adflatu Santius et qui
tergeminae meruit ditissima praemia laudis
Angelus: at temerant atrae contagia pestis
hunc etiam florem; populus mendicus in urbe
degenerat; tandem mentita potentia regno
excutitur; nimio languescit fulmen ab usu
terreni Iovis in manibus; iterumque triumphat,
non armata tamen, victa Germania Roma.

ast hodie pingues urbis prope moenia campi,
o Tiberine, tuae maesti lentique putrescunt.
nam qua Tyrrheni maris adspicit Ostia fluctus

et qua frigidior valles subit aura Sabinas,
quaque per obductos dumis et sentibus agros
fornicibus celsis fontes labuntur ad urbem,
pallida iam late tabes et inertia culpae
incubuit campis et inexorabile letum.
sed quamvis rigeant squalore et sordibus arva,
aetherio tepidum mentes spiramine caelum
excitat aeternaque nitens natura iuventa.
nam quis ab Albani nimboso vertice montis
avertat saturos oculos, ubi magna Tonantem
carminibus festis orabat Roma salutem?
ebria quis satiet Soractis lumina clivo
Albuneaeque domo vitreis et Tiburis undis?
quin etiam sancta medio de tramite Roma
nil maius, quocumque nitentia lumina flectit,
conspiciens, Latiis ut cedat serus ab oris,
igniferos remoratur equos sol almus in alto.
nec non mortales, tenuis quos spiritus adflat
aetheris, hac animos specie renovare precantur:
nam veterum hac quamquam Virtus tellure sepulta est,
mille viget signis veterum hic aeterna Venustas.
nec sortis fallet fiducia certa futurae.
Germanique Italique diu torpente retunsi
segnitia ex somno surgunt et robore laeti
quem meruere gradu iamiam potiuntur honoris.
o patriae sociata meae Saturnia tellus,
ut consanguineo coniunctae nuper amore
hostiles fregistis opes orbemque tremendis
fulminibus passim quatientes denique duris
corpora solvistis laqueis veteresque penates,

vivite coniunctae semper, iunctoque superbum
quod modo suscepistis opus finite labore;
atque ubi conlectis concreverit undique membris
corpus utrique suum, non bellica vestra futurum
sed memoret saeclum placidae certamina pacis.
tunc, o Roma, tuo gaudens fulgebis honore:
reddita nam carae post tot discrimina matri,
iam non fraude mala, non vi nec nobilis armis,
at fatis reverenda tuis canaque senecta,
dotibus egregiis naturae insignis et arte,
quamvis fata virum varient volventibus annis,
semper ut antiquo cunctis mortalibus aevo,
aeterna et posthac lato celebraberis orbe.